Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Liber I.

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

# DIALOGORVM SACRORVM SEBASTIANI CAſtellionis Liber primus.

## ADAMVS. Gen. 3.

ARGVMENTVM.

Serpens Euam, & Eua porrò Adamũ impellit ad ueſcendum fructu uetito. Deus uerò ipſos tres ad totidem pœnas damnat.

Serpens, Eua, Adamus, Ioua.

Arborum fructibus.

CVR uetuit uos Deus ueſci omnibus [a] arborib. pomarij? E. Licet nobis ueſci fructibus arborũ pomarij: tantum Deus nobis interdixit ea arbore, quæ eſt in medio pomario, ne ueſceremur fructu eius, néue etiam attingeremus, niſi uellemus mori. S. [b] Nequaquam moriemini propterea: ſed ſcit Deus, ſi comederitis de eo, tum oculos uobis apertum iri, atque ita uos fore tanquam deos, ſcientes boni atque mali. E. Ita planè uidetur, & fructus ipſe eſt [c] pulcher ſanè uiſu: neſcio an ſit ita dulcis guſtatu, ueruntamẽ experiar. Vah, quàm dulcis eſt? [d] impertiendum eſt etiam marito. Mi uir, ſi ſcires quàm ſapidus ſit hic fructus, iamdudum comediſſes. Accipe. A. Quando ita uis, faciam. Ah flagitium fecimus.

Calumniaum origo. Diabolus mẽacij pater, Deum calũiatur, quaſi liud ſentien em quàm dixerit.

Oculi ſunt eneſtra cupiditatis.

Qui peccauht, ij alios quoq; ad peccandum initare ſolẽt.

*mus.* E. *Quid eſt?* A. [e] *Nonne uides miſera, nos eſſe nudos?* E. *Video, & me pudet: ſed quid nobis faciendum eſt?* A. *Texamus nobis ſubligacula ex folijs, quibus tegamus uerenda.* E. *Bene mones: & eſt hic ficus folijs magnis, & aptis huic rei.* A. *Sed ô nos infelices: uideor mihi audire uocem.* E. *Ioua eſt. Miſerā me, uereor ne deprehendat nos nudos. Abdamus nos in hoc denſum nemus.* I. *Heus heus Adame, ubi es?* A. *Audita uoce tua in pomario,* [f] *territus ſum: & quia nudus eram, abſcōdi me.* I. *Vnde didiciſti eſſe te nudū? Num'nam comediſti de arbore, de qua præceperam tibi ne comederes?* A. *Comedi quidem: ſed* [g] *præbuit mulier, quam tu adiunxiſti mihi.* I. *Quid'nam feciſti mulier?* E. *Decepta à ſerpente comedi.* I. [h] *Quoniam iſtud feciſti ſerpens, tu eris deteſtabiliſsima omnium beſtiarum: omniumq́; animalium terreſtrium, & incedes in pectus, & uorabis puluerem quādiu uiues. Quinetiam conciliabo tantas inimicitias inter te & mulierem, interq́; ſemen tuum & eius, ut id conterat tibi caput, tu autem ei calcem. Te quoque fœmina, afficiam plurimis doloribus & ærumnis, ut cum dolore parias, & tota pendeas ex imperio uiri tui. Et tu Adame, quoniam morem gerens uxori tuæ, comediſti de arbore, cuius eſu interdixeram tibi, habebis terram infœcundam tua culpa, & ex ea quæ res uictum laborioſè dum ui-*

e Peccati ſcientia n[...] ter eſt pud[...] ris: pudet[...] tem uid[...] cũ debeat[...] dere pec[...] ti.

f Sontes [...] ce Dei t[...] tur.

g Pecca[...] ſuum ex[...] re, doct[...] eſt ue[...] Adami.

h Deus ſ[...] tes dan[...] citra d[...] tatione[...]

*ues, cum interim ipſa procreabit tibi carduos & ſentes. Tu ueſcêris herbis terra naſcentibus, & cum ſudore uultus tolerabis uictum: donec redeas in terram, ex qua ortus es. nam puluis es, & in pulverem redibis.*

SENTENTIA.

Ob unius hominis inobedientiam mors intrauit in mundũ. Diſce puer, obedientiã.

## CAINVS. Gen. 4.

ARGVMENTVM.

Deus Cainum damnat ob fratricidium.

### Ioua, Cainus.

*CAine, [a] ubi eſt Abel frater tuus? C. [b] Neſcio: nũquid ego ſum cuſtos fratris mei? I. Quid feciſti? ipſe ſanguis fratris tui edit ad me clamorem de terra. Quamobrem utêris terra infeſta: ut quæ aperto ore hauſerit ſanguinẽ fratris tui, de tua manu, ea non præbeat amplius uim ſuam tibi colenti. Tu errabis uagus per orbem terrarum. C. [c] Mea culpa eſt maior, quàm ut poßit remitti. En ego hodie exterminatus à te, ex ipſo ſolo terrarum, errabo uagus per orbem terrarum, fugiens tuum cõſpectum: ita ut qui proximus inuenerit me, interficiat. I. [d] Imò uerò quicunque interfecerit Cainum, ſubibit pœnam ſeptupli. Quare apponam tibi hãc notam, ne, ſi quis inciderit in te, perimat te.*

[margin:] ...um nihil latet. ...eum fru latêre impij. ...lacis fa...s co... ...eſperatio. ...c per...ndum ...ntope. ...rreat ...b homicidio.

SEN-

SENTENTIA.

Iniuſti nequeunt ferre iuſtos. Quæ clàm perpetrantur, palàm punientur.

## LOTVS. Gen 18.

ARGVMENTVM.

Abrahamns excipit Genios hoſpitio: & Ioua ei prolem promittit, conſiliumq; ſuum de Sodomæ euerſione patefacit. Idem facit deinde Lotus, & a Genijs eripitur ex periculo.

### Abrahamus, Ioua, Genij duo, Puer, Sara, Lotus, Vxor Loti, Sodomitani.

*Video tres homines aduerſum me.* Non dubi*um eſt, quin ſint defeßi de uia, præſertim hoc tanto æſtu: quare currã*[a] *eis obuiã, ut retineã eos apud me.* Domine, *ſi uis facere mihi gratißimũ, noli aliò potius diuertere quàm ad me. Lauabitis pedes paucula aqua adhibita, deinde requieſcetis ſub arbore.* Ego *interea curabo uobis parandũ panem, ut recreetis animos ueſtros, deinde pergatis.* Hæc *eſt uobis idonea cauſa diuertẽdi ad me.* G. *Sic faciemus.* A. *Iã propero in caſam.* [b] *Sara, ſume properè tria ſata farinæ ſiligineæ, ex qua depoſita facias panes ſubcinericios.* Nam *aduẽtant nobis hoſpites, quos ego uolo accipere lautè.* Itaq;

a Pij ſunt beneſaci dũ uelo & alijs b facere b ficij loco eunt.

b Pij ſuo cent be centiam.

iam curro ad bouile: uolo enim mactare uitulum, quo eos tractem opiparè. tu interea cura, ut nihil deſit eis quod opus ſit hoſpitibus. S. Fiet. Propera Hagar, incende ignem, tepefac aquam ad depſendum, dum ego promo farinam. Age iã, dum aqua tepeſit, para mactrã: ſubige farinam: expediamus omnia quæ iuſsit herus. A. Macta eum expeditè puer. Heus Sara. S. Quid uis mi uir? A. Cura nobis luculentũ focũ. S. Iam accẽſus eſt. A. Impone ahenũ. Volo ego hoſpites meos curari diligẽtiſsimè atq; humaniſsimè. Eſt'ne adhuc detrecta pellis isti uitulo, puer? P. Imò iã diſsectus eſt. A. Cõijciamus hæc fruſta in ahenũ. Subijce tu plura ligna, ut coquãtur celerius. Deſpuma ius. Hagar, inſtrue menſam: ſed foris in umbraculo, ſub arbore. Nihil libẽtius quàm uiatorib. benefacio: & certè eos negligere, inhumanũ eſt. Hoſpites, omnia ſunt parata, accumbite, et ueſcimini læto animo. Habetis hic butyrũ, habetis & lac. Boni cõſulite quod adeſt, quodq; Deus largitur in præſẽtia. Puer, appone eis uitulinam. I. Vbi eſt Sara uxor tua? A. Adeſt in tabernaculo. I. Cum reuiſam te eadem tempeſtate anni quæ nunc eſt, habebit Sara uxor tua filium. S. [c] Ha ha he, ridiculũ. Ego iã uieta ſum, & indulgebo uoluptati ſcilicet: cum meus quoq; dominus conſenuerit. I. Cur tandẽ ridet Sara, negãs ſe poſſe pârere, quia cõſenuit? [d] Eſt'ne aliquid, quod Ioua nõ poſsit effi-

 uæ ſupra
s huma-
promit-
eus, ea
ula iudi
humana
ratio.
eus ho-
s quoq;
facit,
lioquin
tur fie-
n poſſe.

efficere? Cum reuiſam te, inquam, anno uertente, habebit Sara filium. S.[e] Ego non riſi. I.[f] Imò uerò riſiſti. Sed iam pergamus conficere iter reliquum. A. Ego comitabor uos, niſi moleſtum eſt. I. Egóne ut celem Abrahamum, de eo quod ſum facturus, ex quo profectura ſit gens maxima & potentiſsima, per quem omnes gẽtes orbis terrarum ſint conſecuturæ felicitatem? nam certò ſcio, [g]eum præcepturum eſſe ſuis liberis, & porrò ſuæ in poſterum ſtirpi, ut uiuant ex meo præſcripto, & colãt iuſticiam atque ius, ut ego præſtem Abrahamo quæ promiſi ei: profectò non celabo. Abrahame, uolo tibi indicare qui ſim, & quò eam. Ego ſum Ioua. Cum uiderem diſsipatos eſſe rumores, de tot tantisq́; flagitijs Sodomitanorum & Gomorræorum, [h]ſtatui deuenire huc, & explorare, utrũ ſint planè profligati, quemadmodum accepi fama & auditione: an non ſint. G. Nos quidem antecedamus. A. Sed quid? [i]perdesńe etiam bonos unà cum improbis? Si erunt quinquaginta uiri boni in urbe, an etiam perdes? neq; ignoſces illi loco, propter illos quinquaginta bonos, qui erunt in eo? Abſit ut tu ſic facias, ut interficias bonos cum malis, ſitq́; eadem conditio proborum & improborum. Abſit ut tu, qui moderaris totum orbem terrarum, non facias æquum. I. Si inuenero in urbe Sodoma quinquaginta uiros bonos, ignoſcam

e Metus ho- mines impe- lit ad mẽtie- dum.

f Modeſta r- prehenſio, utpote pec- cati infirmi- tate cõmiſs-

g Iuſti ſu- iuſticiam d- cent.

h Cogno- dũ antec- iudices.

i Iuſti de- ſtorum ſ- te ſolicit-

*toti loco propter eos.* A. *Facio fortaſſe audacter, qui audeam alloqui te Dominum meum, ipſe puluis & cinis: ſed tamen ſi fortè defuerint quinque de quinquaginta bonis, an propter quinq; excindes totam urbē?* I. *Non euertā, ſi inuenero ibi quadraginta quinque uiros bonos.* A. *Quid ſi quadraginta?* I. *Etiam propter quadraginta abſtinebo.* A. *Quæſo ne ægrè feras Domine, ſi pergo quærere. Quid ſit triginta.* I. *Etiam ſic abſtinebo.* A. *Poßim uideri audacior, qui alloquar Dominum meum. Quid ſi uiginti?* I. *Etiam eorum cauſa non peruertam.* A. *Interrogabo te hoc poſtremum, ſi tibi grauis non ſum: Quid ſi decem?* I. *Propter decem non euertam.* C. *Iam adueſperaſcit, & nos appropinquamus urbi.* L. [1] *Video huc aduentare duos hoſpites. Ibo eis obuiam, ut eos deducam ad me. Saluete uiri præſtantißimi.* G. *Salue & tu uir humanißime.* L. *Peto à uobis, ut diuertamini in domum meam, ut ibi lotis pedibus pernoctetis, cras repetituri ueſtrum iter.* G. *Imò pernoctabimus in foro.* L. *At ego non patiar. diuertimini ad me: accipiam uos, ſi non lautè, ac certè hilarè.* G. *Fortaſſe erimus tibi graues.* L. *Iucundi potius: ne ueremini. Tam mihi erit gratum uos accipere hoſpitio, quàm eßet accipi à uobis, ſi iſtic eßem.* G. *Poſtquam tantopere uis, nolumus eſſe pertinaces.* L. *Ergo ſequimini me. Hîc eſt mea domus. Intrate:*

quod

Singularis oti uirtus, ui inter in- ſpitaliſsi- os hoſpita imus eſſe potuerit.

quòd bonum ſit. Vxor cura calefaciẽdam aquam, ad lauandos pedes horum hoſpitum: & ſimul conſice panes coquendos in foco. Vos interea hic requieſcite, dum paratur cœna. Age iam uxor, conſtrue menſam: fac ut omnia ſint nitidiſſima, ne quid offendat animos horum. Hoſpites accumbite, utimini læto animo his quæ ſuppeditant nobis in præſentia diuina benignitate. Sed quid? quem tumultum audio, uxor? quis eſt iſte clamor? quæ turbæ excitantur? VXOR Loti. Hei mihi, perijmus, mi uir. L. Quid tandem eſt mali? V. Tota ciuitas, mi uir, obſidet ædes noſtras. Iuuenes, ſenes, deniq; uniuerſi circumſident nos. L. Valde uereor, quò hæc euaſura ſint. Sed audio clamantes. SO. Heus heus Lote, ubi ſunt homines iſti, qui uenerunt ad te ſub noctem? [k] Produc eos nobis, ut eos cognoſcamus. L. O flagitium. Sed ne trepidate hoſpites: exibo ad eos, & obſerabo poſt me ianuam. Adſum. Quid clamatis? SO. Volumus uidere hoſpites, qui diuerſantur apud te. L. Obſecro uos, fratres mei, ne tantum ſcelus faciatis. [l] Sunt mihi duæ filiæ, adhuc à uiris integræ: eas malo dedere ueſtræ libidini, quàm ſinere ut quid noceatis his hominibus, qui cõmiſerunt ſe ſub præſidium mei tecti. S. Recede pauliſper iſthuc, ut conſultemus de iſta re. Quid facimus populares? accipiemus'ne puellas ea conditione, ut dimittamus iuuenes?

k Hic pude[at] inhoſpita[les], Sodomitarum diſcipulos.

l Charitas a[l]teri magis quàm ſibi cõ[]ſulit.

iuuenes? AL. Non eſt opus longa deliberatione.[m] Iſte unus peregrinatur in noſtra ciuitate: & nos reget, ſi dijs placet. SO. Iam te Lote peius mulctabimus, quàm ipſos: ne tu putes nos uelle ſubijci peregrinis. Agite, inuadamus eum. G. Recipe te confeſtim ad nos Lote. L. O' facinus audax, ô profligatam & perditam nationem. Obſeremus fores firmiſsimè. S. Effringamus fores: occidamus iſtos aduenas, qui cum nuſquam poſsint habitare, ueniunt ad nos. G. Ne trepida hoſpes, nunquam irrumpent nobis inuitis. L. O' inauditam nequitiam. Siccine hic uiolari hoſpites & peregrinos, quorum ius debet eſſe ſanctiſsimum? G. Seda teipſum. Iam uidebis ultionem præſentem. SO. Quid eſt hoc, ô ciues? [n]ubi nam eſt huius hominis oſtium? Al. Neſcio, & iamdudum id fruſtra quærito. Quid uos? inueniſtisne? Al. Minimè uerò: et mirũ eſt. Cæcine ſumus, an non hîc eſt illius domus? AL. Eſt omnino: ſed ubi eſt oſtium? G. [o] Lote, ſi quos habes præterea generos, aut filios, aut filias, deniq; quoſcunq; habes in urbe, educ ex hoc loco. Nam nos quidem iam delebimus hunc locum. Huc enim ad hoc ipſum miſsi ſumus à Ioua, apud quem increbuit tanta importunitas horum. L. Habeo uobis gratiam, qui habeatis rationem non ſolùm meæ ſalutis, ſed

etiam

m Peregrinis, quamuis bene ſuadentibus, obtemperare nolle, arrogantiæ eſt.

n Deus impios interdũ ita cæcat, ut pijs nocere nequeant.

o Deus in gratiam piorum, etiam ipſorum amicis parcit.

*etiam meorum. Iam adeo eos.* VX. *Valde ſum ſolicita de meo uiro, qui eſt egreſſus domo: ita conſceleratus eſt hic totus populus. Metuo ne quid grauius patiatur, etiã à ſuis. Nam hodie nulla ſancta fides eſt, ne inter fratres quidem.* L. *Iam redeo.* G. *Quid egiſti?* L. [p] *Viſus ſum iocari eis, quorum ſaluti prouidebam.* A L. *Homines ſunt deſperati. Pereant, quoniam nolunt ſeruari. Sed iam diluculum eſt: & tempus admouet emigrandum eſſe hinc. Agedum, adiunge tibi uxorem tuam, & duas filias, ne aggregeris ad interitum tam perditæ ciuitatis.* [q] *Quid cunctaris? nũquã poteſt nimis maturè uitari periculum.* L. *Atqui non uidetur emigrandum tam manè.* G. *Atqui nos non ſinemus te perire, quin potius manu educemus & te & tuam coniugem, & filias. Agite, exeamus ex urbe.* [r] *Sed caue, ſi tuam uitam amas, ne reſpicias poſt tergum, nêue uſquam moreris in planicie. Euade in monte, ne pereas.* L. *Peto à te Domine, ut remittas hoc mihi, poſtquã tu pro tua benignitate deuincis me tanto beneficio, ut cuſtodias mihi uitam. Certè non potero euadere in montes, quin me attingat illud malum, quo moriar. Sed eſt hic propinquum oppidulum ad confugiendum, in quo quæſo ut liceat mihi euadêre, & ita conſulere uitæ meæ. eſt ſanè perparum.* G. [s] *Etiam in hac*

p Impij fruſtra monentur.

q In periclo cunctarpericuloſum.

r Summ periculun ſumma fe natione giendum.

s Piorũ ces exa Deus.

re

Piorum ui-
initas ſalu-
taris.
In gratiam
orum dif-
ertur impi-
rum ſuppli
cium.

*re indulgebò tibi, ut* [t] *non euertam iſtud oppidum. Cōfer te illò.* [u] *neq; enim licet mihi facere quicquā, quum tu eò perueneris.*

SENTENTIA.

Deus uerſatur cum pijs, eisq; patefacit ar cana ſua, & eos remuneratur & tuetur. Ma uult Deus ut innumerabiles impij uiuant, quàm ut uel unus pius unà cum illis pereat. Maior eſt Dei in unum pium amor, quàm in omnes impios odium; quem quidem eius a morem debent imitari pij.

## ABRAHAMVS. Gen. 22.

ARGVMENTVM.

Abrahamus, iuſſu Dei, filium ſuum Iſaacū uult immolare. Deinde prohibente Deo, im molat arietem.

### Abrahamus, Iſaacus, Genius.

I*Am tertium diem iter facimus, & uideor uidere procul locum deſtinatum ſacrificio. uos hic ope rimini unà cum aſino, dum ego & puer imus illuc, ut adoremus Deum, poſtea redituri ad uos. Tu Iſaace portabis hæc ligna ad comburendam hoſtiā, ego feram ignem & cultrum. Eamus.* IS. *Mi pater.* A. *Quid uis, fili mi?* IS. *Hic quidem eſt ignis & ligna, ſed ubi eſt agnus immolandus?* A. [a] *Deus prouidebit ipſe ſibi agnum in ſacrificium, fili: nos interea pergamus. Ecce uenimus in locum, quem Deus dicebat mihi. Construamus hic aram. Rectè*

homi-
uerita
nterdū
, ſed ci
menda-
cium.

*eſt:*

*eſt: diſponamus lignum.* Nunc mi fili, *oportet ut te colligem, mactemq́; quando ita uiſum eſt* Deo o- *ptimo maximo, cuius uoluntati reſiſtere nefas eſt.* I. Mi Pater, *ſi ita certum eſt* Deo, *fiat.* Nam *didici, ei, tibiq́; parêre in rebus omnibus.* A. Pater *omnipotens, cuius eſt imperare, obſequor tuis iußis: tibiq́; macto hanc hoſtiam, hoc cultro, mea ipſius dextera.* G. *Abrahame, Abrahame.* A. *Quis me uocat?* G. *Caue ne afferas manum puero, caue ne lædas.* Iam *enim mihi ſatis perſpecta eſt tua religio & pietas, qui propter me*[b] *non peperceris filio, eiq́; unico.* A. *Hem quid hoc rei eſt? Sed uideo'ne arietem in dumo hærentem cornibus? Salua res eſt. uiuet* Iſaacus: *hæc mactabitur gratior* Deo *uictima.*

b Deo uoluntas pro facto eſt.

SENTENTIA.

Nihil tam difficile aut durum eſt, quin id poſsit, qui credit. Deus ſuorum pietatem remuneratur.

## EPHRON. *Gen. 23.*

ARGVMENTVM.

Abrahamus mercatur ab Hettæis fundum, ad ſepulturam Sarę uxoris ſuæ.

Abrahamus, Hettæi, Ephron.

E*Go ſum peregrinus & aduena inter uos,* Het*tæi.* Q*uare tribuite* *hi poſſeßio* *ſepulturæ inter ueſtras, ubi ſepeliam Saram* *meā*

quæ mortua eſt, ut ſcitis. H Attende nos Domine. [a] Tu es quidam princeps diuinus in nobis: tuũ eſt eligere è noſtris ſepulcretis, ubi inhumes tuũ mortuum. Nemo noſtrûm prohibebit te ſuo ſepulcro, quo minus ſepelias in eo. A. Ago uobis gratias pro ueſtra tanta humanitate ac liberalitate. Sed ſi uobis cordi eſt ut ſepeliã meum defunctum, et auferam è conſpectu meo: concedite mihi præterea, ut agatis pro me cum Ephrone filio Sigoris, ut attribuat mihi cauernam duplicem, quã habet in extremo ſui agri, & attribuat iuſto argẽto, in ueſtra præſentia, in uſum ſepulcri. E. Auſculta mihi potius Domine. [b] Ego tibi dono & agrum & cauernam agri, & quidem in præſentiã meorum popularium. Sepeli tuum mortuum. A Imò tu potius auſculta mihi. [c] Ego ſoluã tibi pecuniã pro agro, eam tu accipe à me. E. Domine attende. Hic fundus quo de agitur inter nos, eſt quadringẽtis ſiclis argenti: ſi uis ſepelire tanti. A. Accipio tanti. Et iam appendam tibi præſentem pecuniam. Vos Hettæi eſtote teſtes, ut Ephron addicat mihi in poſſeſſionem quadringẽtis his ſiclis argenti, agrũ ſuum duplici cauerna, qui ager eſt eregionè Mambræ, id eſt Hebronis, unà cum ipſa cauerna, & omnibus arboribus quæ ſunt undiq; in toto ſpa-

Te-

[a] Virtus etiã inter peregrinos pollet.

[b] Magna eſt interdũ etiã in barbaris humanitas.

[c] Nõ ſemper accipiendum eſt, quicquid donatur.

SEN-

SENTENTIA.

Iuſticia commendat hominem, apud eos qui non ſunt omnino perditi.

## REBECCA. Gen. 24.

ARGVMENTVM.

Diſpenſator Abrahami ducit Rebeccam filiam Labanis Meſopotamij, in matrimonium, Iſaaco herili filio.

## Diſpenſator Abrahami, Rebecca, Laban, Bathuel.

*HEus heus puella, da mihi bibere paulum aquæ ex tua urna.* R. *Immò uerò perlibet, uir optime. Hem, bibe.*[a] *Quinetiam adaquabo tuos camelos, quantum ſat erit.* D. *At ego te, pro iſto beneficio, dono hac inaure, atque his duab. armillis. Sed age fac ſciam, cuius ſis filia: & an ſit in ædib. tui patris locus, ubi poßimus pernoctare.* R. *Equidē ſum filia Bathuelis, quem Melca peperit ex Nachore. Straminis autem & pabuli apud nos affatim eſt, nec non locus ad pernoctandum. Sed ego curro in oppidum, ut nunciem hæc omnia domi, ita ut habent.* D. [b] *Ago tibi gratias, Ioua, quòd non deſtituiſti tua bonitate, & fidē, Abrahamum herum meū, tui cultorem: qui me deduxeris per eam uiā, qua uenirem domum cognatorum domini mei.* L. *Ain tu?* R. *Ita eſt.* L. *Et dono dedit tibi iſtam inaurem, & armillas?* R. *Etiam.* L. *Vbi reliqui-*

a Humani homines ultrò plus eti[…] beneficiorum confe[…]runt, quàn[…] orantur.

b Pij Dei […]ga ſe beneficia agnoſcunt atqu[e] prædicant.

*ſti? R. Ad fontem, & ecce eum tibi apud camelos. L. Precor tibi Iouam propitium homo. D. Et ego tibi uiciſsim, uir humaniſsime. L. Narrauit nobis hæc ſoror mea Rebecca, quí nam ſis, et unde uenias. Quod cum primùm audiui, ſtatim curaui parari tibi diuerſorium, & tuis camelis ſtabulum, ne foris maneas. Quamobrem ſequere me. D. Ago tibi gratias pro tanta comitate & diligentia. Sequor. L. Eamus hac. Hic ſunt ædes noſtræ: Vos curato hos camelos ſtramine & pabulo. Vos afferte aquam lauandis pedibus huius, & comitũ. Bene eſt, accumbite. D. Dabitis mihi ueniam. c Non capiam cibũ, quin prius dixero, cuius cauſa huc uenerim. L. Dic ergo. D. Ego ſum ſeruus Abrahami, hominis quem Deus ditauit mirum in modum, oue, capra, boue, argẽto, auro, ſeruis, ancillis, camelis, atq; aſinis: cui etiã iam ſeni Sara uxor peperit filium, quem ipſe conſtituit hæredem ex aſſe, meq́; etiam iureiurando aſtrinxit, ne locarem ei nuptũ, quæ eſſet ex Cananæis, in quorũ terra habitaret ipſe: ſed irem domum paternam, eiq́; eligerem uxorẽ gentilẽ. Cui cum ego dicerẽ: Quid ſi mulier nolet me ſequi? d Deus, inquit ille, cui ego per omnem uitam parui, tecum mittet nuncium ſuum, qui tibi ſecundabit hoc iter: ita ſumes filio meo uxorem mihi gentilem, ortamq́; ex domo paterna. hac re exolueris te religione iuriſiurandi,*

Bonus pro-
urator ma-
is memor
eſt officij
i, quàm uo
luptatis.

Pij deũ ſi-
adfuturũ
ertò ſpe-
rant.

quo

quo te aſtringo: ſi fortè nō impetraueris ut mulier te ſequatur. Ita perſuaſum eſt mihi ut uenirē. Cūq; hodie ueniſſem ad fontē, ita cogitabā mecū: [e] Ioua Deus heri mei Abrahami, ſi tu mihi ades in hoc itinere, da mihi ut me nunc hic ſtante ad fontem, ueniat puella hauſtura, quæ mihi roganti det aquam ex urna bibendā: atq; etiā aquetur meos camelos, ut intelligā eam eſſe quam deſtinaſti hero meo. Vix hæc mecum tacitus cogitaram, cum ſubitò ecce egreſſa Rebecca, ferens urnam in humeris, deſcendit ad fontē, atq; haurit. Et cum petiuiſſem potum ex ea, cōfeſtim depoſita urna offert, & dicit eiam ſeſe adaquaturam camelos: quod & fecit, adaquauitq; me & camelos. Ego quæſiui ex ea, cuius eſſet filia? Reſpondit: Batuelis filij Nachoris, ex Melca. Tum ego accōmodaui fronti eius inaurem, & manib. armillas: & ſummiſsè adorās Iouā deū heri mei Abrahami, gratias egi quòd deduxiſſet me in rectā uiam, ad conciliandam filiam herilis cognati filio herili, quam ex his argumentis intellexi eam eſſe. Nunc ergo, ſi certū eſt uobis facere hoc beneficiū domino meo, facite ut ſciam: ſin minus, nihilo ſecius, ut inſiſtam aliam uiam. L. [f] Hæc res planè ex Deo orta eſt, neq; nos omnino poſſumus repugnare tibi. B. Ita habet. Proinde habe tibi Rebeccam tuo arbitratu, eamq; ducito nupturā hero tuo, ſicut uiſum eſt Iouæ. D. Gratiā habeo Deo primùm,

e Deus p[...] mentem in[...] cit ad ea p[...] tenda, qu[...] ipſe eis pr[...] parauit.

f Ex felic[...] gociorū[...] greſſu ſ[...] animadu[...] tere licet[...] deſſe De[...]

 qui

*qui ita uoluerit: deinde uobis, qui nō repugnaueritis. Tu uerò Rebecca, & uos, non recuſabitis hæc quantulacunq; dona, quæ attuli iuſſu mei domini.*

SENTENTIA.

Deus dirigit pios in uiam, eorumq; actiones ſecundat.

## IDVMVS. Gen. 25.

ARGVMENTVM.

Eſaus uendit Iacobo fratri prærogatiuam ætatis.

### Eſaus, Iacobus.

*IMperti mihi de ruſo, de ruſo iſto. nam redeo rure exanimatus laßitudine. I. Vēde mihi in præſentia prærogatiuam tuæ ætatis.* E. *En ego iam iamq; emorior: quò mihi iſtam prærogatiuam?* I. *Ergo confirma mihi iam nunc uenditionem iureiurando.* E. *Confirmo, quid uis? iuro, addico. nihili facio ius iſtud ætatis, præ edulio.*

SENTENTIA.

Breuiſsima uoluptas hominē priuat perpetuis bonis. Idem uſu ueniet impijs, qui amore carnalium uoluptatum prodigunt bona cœleſtia.

## VENATOR. Gen. 27.

ARGVMENTVM.

Iacobus arte materna præuertit à patre fecilitatem Eſai. Eſaus ſerius ueniens, fruſtra lachrymatur.

## Rebecca, Iacobus, Iſaacus, Eſaus.

PAter tuus miſit uenatum fratrem tuum Eſaũ, me audiente, ut afferat ferinam: ex qua cõfectum pulpamentum ipſe edat, eiq́; benepreceturà Ioua, antequã moritur. Nunc audi fili mi, quid uelim à te fieri. Adi pecus, & inde afferto mihi duos hœdos opimos, ex quibus conficiam patri tuo eduliũ, quali maximè delectatur: quod offeres ei, ut tibi bene precetur, priuſquã excedat uita. IA. Sed frater uilloſus eſt, ego depilis. Quòd ſi fortè pater me attrectauerit, putabit ſe mihi eſſe ludibrio. itaque mihi malè, non bene precabitur. R.[a] Iſtam imprecationẽ ego præſtabo nate: tu modò gere mihi morem. IA. Si ita iubes, certũ eſt obſequi. EO. R. Mihi magnopere curandũ eſt, ut agã hãc rem callidè & prudẽter, ne meus maritus deprehẽdat fallaciam. nam ut amat ruſticũ illũ Eſaũ, nunquã eũ poſtponet Iacobo, niſi fraude inductus. Ego uerò Iacobũ plus amo, & ſtudeo eum obrepere in felicitatẽ, quã cõciliabũt patris preces ei, cui bene ominatus fuerit. IA. Redeo mater, affero hœdos. R. Factũ bene: agedum parem cupediam patri tuo, cuiuſmodi ſcio ſuauem eſſe eius palato. Rectè eſt, parata ſunt omnia. Nunc agè, induam te ueſtimenta precioſa Eſai, quæ habeo penes me. Hic ornatus te cõdecet. IA. Quid manus & collũ, quod pi-

a Obedien dum eſt ſa pientię, qu uis pericul ſa præcip re uideatu

lis caret? R. Veſtientur pelle hœdorum. Bene habet:accipe nunc hanc eſcam, atque hunc panem quem confeci. Abi,uide ut agas prudenter. IA. Dabo operam, Pater. IS. Quis tu es fili? IA. Eſaus primogenitus tuus. Exequutus ſum mandatum tuum. Surge, agè ueſcere ferina, ut mihi bene-preceris. IS. Quid ſibi uult, quòd tam citò nactus es, fili? IA. Ioua, Deus ille quē colis, obiecit mihi. IS. Accede huc, ut te attrectem fili, ſciamq́; utrū ſis ipſe Eſaus, nec ne. Quid hoc? uox quidē Iacobi eſt, ſed manus Eſai. Tu'ne ergo re ipſe natus meus Eſaus? IA. Planiſsimè. IS. Accede ad me, ut ueſcar tua ferina, fili, tibiq́; bene precer. Suauis eſca ſanè. funde uinum. IA. Hem tibi. IS. Nunc age, amplectere me. Quàm ſuauis odor uenit ad nares meas? Fragras fili mi, non aliter quàm ſolet ager lætus munere Iouæ. Faxit Deus, ut terra pinguis, irrigata rore cœleſti, effundat tibi magna copia ſegetes & uuas. Tibi ſeruiant nationes, te colant populi, dominus ſis fratrum tuorum, teq́;契reuereantur ex eadē matre nati.[b] Qui tibi imprecabitur, eſto execrabilis, & infelix: qui tibi bene uolet & optabit, eſto fortunatus. IA. Bene geſsi meum negocium, mater. Non agnouit me, & ex attrectatione putauit eſſe Eſaum. RE. Bene eſt. Sed Eſaus iam reuerſus parat ferinam, quam offerat patri. Videamus quid agat: nam multum fallet eum ſpes.

[b] …orum a- …is Deus propiti- inimicis …ē aduer- ſus.

E. At-

E. Attolle te mi pater, & uescere mea ferina, ut mihi bene preceris. IS. Nam quis tu es? E. Rogas? primogenitus tuus Eſaus. IS. Totus obſtupeſco, horreoq́;. Quis ergo is eſt, qui modò attulit mihi ferinam? Nam ex ea prorſus comedi ante tuum aduentum, eiq́; fauſta omnia ſum precatus: quæ res rata erit. ) E. Hei mihi. num quid cauſæ eſt, quin ego perpetuò perierim? Attamen mihi quoque bene precare pater. IS. Frater tuus rem aſtu tractauit, abſtulitq́; fauſtitatem tuam. E. Næ ille probè reſpondet ſuo nomini, qui me iam bis circumuenerit. Primùm enim fraudauit me prærogatiua ætatis: deinde nunc intercepit bonam precationem, mihi debitam. Sed nihil'ne tibi reliquum feciſti, quo mihi fauſtum aliquid precere? ) IS. Profectò feci eum dominum tuum, ſtatuiq́; ut fratres ei ſeruirent, eumq́; muniui frumento & uino. Quid uis tibi iam faciam fili? E. Solúmne id habebas? imperti etiam me aliqua felicitate. Heu quid agam miſer? IS. Habebis quidem domicilium minus bonum & à pinguitudine ſoli, & à ſupero rore cœli, & uiuens gladio ſeruies fratri: ueruntamen erit tempus illud cum uiciſſim uinces, excutiesq́; iugum eius de collo tuo. E. Non procul abeſt luctus à patre meo.[c] Nam certum eſt mihi, interficere Iacobum fratrem.

SENTENTIA.

Properandum eſt, & arripienda occaſio. Serò plorat Eſaus: ſerò uenitur ad colligendum Manna poſt ortum ſolem, aut die Sabbathi. Serò afferuntur falces poſt meſſem, cum iam nihil ſupereſt niſi ſpicilegium. Serò pulſant fores fatuæ uirgines. Serò conabuntur intrare pigri per portá iam clauſam.

## IACOBVS PROFVGVS.

Gen. 29.

ARGVMENTVM.

Iacobi profugi congreſsio cum Rebecca ſobrina ſua.

### Iacobus, Paſtores, Rachel.

FRatres, *unde eſtis?* P. Ex *Charra.* I. Ecquid *noſtis* Labanem, *filium* Nachoris? P. Maxi*mè.* I. Valet'ne? P. Valet: *atq; ecce tibi* Rache*lem filiam eius, huc uenictem cum pecudibus.* IA. *Hem diei multum adhuc eſt, necdū tempus eſt cogēdi pecoris. quin adaquatis pecudes, deinde ituri paſtū?* P. Non *poſſumus, donec conuenerint oēs greges, quò auoluamus ſaxū ab ore putei, atq; ita adaquemus.* I. *Sed uenit* Rachel *agens pecus.* ª *Quid ceſſo auoluere ſaxū, ut hauriam ei aquam, atq; hanc primam ab ea ineam gratiam?* O *mea* Rachel, *amplectere me.* R. *Abſtine tu manū, quis tu es?* I. *Ego ſum* Iacobus *patruelis tuus, filius* Re*beccæ, non cōtineo lachrymas præ gaudio.* R. O *felicem*

ª Quos ama-
s, ijs libē-
benefaci
mus.

*felicem aduentum. Sed ego ceſſo ire in urbem, ut nunciem hæc meo patri?*

SENTENTIA.

Gaudent mutuo congreſſu conſanguinei. Sunt autem pij omnes inter ſeſe diuina conſanguinitate coniuncti.

## LABAN. Gen.31.

ARGVMENTVM.

Laban fugientem Iacobum aſſequutus, cũ eo iurgatur. Deinde fit inter eos fœdus.

Laban, Iacobus, Rachel.

*QVæ ratio impulit te, ut inſcio me, abduceres meas filias, tanquam ferro partas? Cur clàm & neſciente me aufugiſti, neque feciſti me certiorem, ut proſequerer te uoluptate carminum, tympanorum, cithararum? neq; permiſiſti mihi, ut oſcularer meos* [a] *natos & natas? Stultè ſanè feciſti. Et erat mihi in manu, nocere uobis.* [b] *Sed Deus ueſter patrius heri monuit me, ut cauerem ne te offenderem ulla re. Verùm eſto, profectus ſis ſanè præ deſiderio, quod capiebas è domo paterna: deos uerò meos cur furatus es?* I. *Illud feci adductus metu, ueritus ne tu eriperes mihi tuas filias. Quod autem attinet ad tuos deos,* [c] *ſi quem penes inueneris eos, per me quidem plectatur capite. Noſcita, præſentibus neceſſarijs noſtris, ſi quid tui eſt apud me.* L. *Rectè dicis. Perſcrutabor ueſtra tabernacula.* I. *Non recuſo quo*

a Natos uo cant nepo tes, more Hebraico.

b Deus ini ſtos monet, ne noceant iuſtis.

c Periculo ſanè cond tio. Sed D us quæ per cula inſcie ter adeu pij, ab ijs r ſi a ſapie tia eos tu tur.

minus ueſtiges omnia. RA. Video me eſſe in magno periculo. Nam Laban pater meus conquirit per omnia tentoria ſuos deos penates, quos ego furata ſum, meo uiro neſciente. Quod ſi factum deprehendetur, concitauero magnas turbas. Commiſcenda aliqua fallacia eſt, & quidem ſubitò. nam meus pater iam aderit hic. Probè inueni uiã. obruam eos in hoc ſtercore camelino, deinde ſedebo ſuper: facilè eum fallam. L. Rimatus ſum acerrimè tabernaculum Iacobi, tum Liæ, tum duarum ancillarũ. nuſquã inueni. Reſtat tabernaculum Rachelis: in quo ſi non erunt, mirabor. Hæc omnia ſunt mihi perſcrutanda. Hic quidem non ſunt, neq; hic. Quid ſub hac culcitra? tantundem. At in hoc angulo erunt: at non ſunt. R. [c] Noli ægrè ferre, domine, quòd nõ poſſum aſſurgere tibi: nam ſum in menſtruis. L. Perquiſiui omnia diligentiſſimè: ſed nuſquam comperi meos deos penetrales. I. Quodnam cõcepi tantum ſcelus, aut quod facinus admiſi in te, ut tu me ſic perſequerere? Scrutatus es omnia mea utenſilia: ecquid inueniſti de ulla ſupellectile tuæ domus? Prome huc coram neceſſarijs utriuſque noſtrûm, ut ipſi iudicent de utroq; noſtrûm. Iam uiginti annos egi apud te: tuæ oues & capræ nunquam fuerũt infœcundæ: non comedi arietes tuæ ouiariæ: nihil ad te retuli ereptum feris: ipſe ſemper præſtiti damnum: tu

[c] Periculum facit interdũ mendaces.

tu mihi ſemper imputaſti:ſi quid per furtum amiſſum eſt tam interdiu quàm noctu,meo periculo amiſſũ eſt. Deniq; ea fuit mea cõditio,ut et de die cõficerer æſtu,et de nocte gelu:et interea ſomnus abeſſet ab oculis meis.Iam hic mihi uigeſimus annus agitur,cum ſum domi tuæ.Seruiui tibi quatuordecim annos,pro tuis duab.filiabus: ſex aũt pro ouibus et capris:cum tu interea mutauiſti mihi mercedẽ d decies.Quòd niſi Deus patrius,uidelicet Deus Abrahami,et terror Iſaaci,affuiſſet mihi, tu quidẽ dimiſiſſes me uacuũ. Sed e reſpexit ille miſerias & labores quib.ſum perfunctus:id quod heri ſatis oſtẽdit. L.Meæ ſunt hæ filiæ,mei filij,meũ pecus:deniq; quicquid hic uides,meum eſt.Et nunc quo pacto optimè cõſulã meis his filiab.et filijs quos peperunt? Opinor,ſi ego & tu feriemus fœdus, quod ſit teſtimonio utriq; noſtrûm. I. Optimè.Ego hic erigam cippũ ex hoc ſaxo: uos mei propinqui accumulate lapides. Capiamus cibum ſuper hoc tumulo. L. f Hic hodie tumulus erit medius teſtis inter me & te. I. Perplacet.Atq; ex hac re uocetur Galaadus. L. Aut etiam Maſpha: ut ſignificet, Deum aſpecturum quid fiat à me & te,cũ diſceſſerimus alter ab altero. Quod ſi tu eris durus meis filiab.aut ſi duces alias in matrimoniũ præter eas, tum hæc pacta perinde ſunto, atque ſi nulla facta ſint. Atq; huius quidem rei teſtis eſto. Deus utriq;.

d hoc eſt,ſæpe.

e Deus reſpĩcit miſerias ſuorum.

f Etiam res inanimatæ teſtes ſunt, nõ illę quidem uerbis, ſed re.

Vides

Vides hunc tumulũ, uides & hunc cippum, quem extruxi inter me & te? Hic tumulus, & hic cippus, teſtes ſunto, neq; me aduerſum te, neque te aduerſum me tranſiturũ eos ad nocendum. Deus Abrahami & Deus Nachoris, utriuſq; patrius, ſunto noſtri uindices. I. Ego coniuro per terrorẽ mei patris Iſaaci. Atque ut hæc ſint ſanctiſsima, faciam hodie ſacrificium in hoc monte, ad cuius epulas uos omneis inuito. L. Condicimus.

SENTENTIA.

Deus ſuos tuetur ab aduerſarijs.

## IACOBVS REDVX. Gen. 33.

ARGVMENTVM.

Iacobus ex Meſopotamia rediens, Eſaum fratrem donis pacat.

### Eſaus, Iacobus.

O Salue multũ, mi frater chariſsime. I. Salue & tu plurimũ germane mihi optatiſsime. E. Vt te libenter amplector poſt longum ſpacium temporis? I. Et mihi profectò iam diu nihil fuit iucundius, quàm nunc uidere te incolumẽ. Itaque præ gaudio nõ teneo lachrymas. E. Nec ego poſſum nõ flere: ita totus lætitia geſtio. Sed quid ſibi uult iſte grex mulierũ & puerorum, quos tecum ducis? I. Vxores ſunt, & liberi, quibus me Deus, quæ ſua eſt liberalitas, ditauit. E. Quid autem

tem tibi uult totus ille grex, quem offendi ueniēs? I. Volui te eo dono mihi placare. E.[a] Satis multa habeo frater, habe tibi tua. I. Ne repudia me quæſo: ſi te mihi propitiū habeo, accipies à me munuſculū. Nā [b] quòd uidi faciē tuā, uideor mihi uidiſſe numen quoddā: nec mirum, qui mihi tam facilis fueris. Itaq; quæſo ut accipias à me munuſculum, quod ad te adductum eſt: poſtquam Deus pro ſua benignitate tam multis bonis me cumulauit, ut nulla re caream. E. Quando urges tantopere, accipio, etſi nihil opus erat. Age eamus, ego ibo unà tecum. I. Scis pueros eſſe teneros, oueſq; & capras & boues prægnantes: quòd ſi fatigentur uel unum diem, actum eſt de ouibus & capris omnibus, interibunt. Sed amabò i præ: ego pergam clemēter & placidè, prout poſtulant ea quæ præ me duco, ipſiq; pueri, donec ueniam ad te in Seir. E. Saltem relinquā tibi aliquot ex meis comitibus. I. Quid opus? gere obſecro mihi morem.

a Vincitur interdum ſeritas officijs.

b Prudens, & aduerſario non noxia, ſed potius utilis ſimulatio.

SENTENTIA.

Potentiorum ira comitate & ſummiſsione eſt lenienda.

## IOSEPHVS VENDITVS.

Gen. 37.

ARGVMENTVM.

Ioſephum ob inuidiam uendunt fratres mercatoribus Iſmaelitis.

Simeon

## Simeon, Leuis, Ruben, Ioſephus, Iudas, Mercatores.

*a Peccatum parit mendacium.*

*b Probi improbos à peccando auocare ſi nõ poſſunt, ſaltem ut leuius peccent, ſuadent.*

ECce uobis ſomniator ille. Agite, occidamus eũ, deijciamusq́; corpus eius in aliquam ſpecum. L. Sed quid renunciabimus patri de eo? S. [a] Deuoratum eſſe ab aliqua fera. Videbimus quorſum euadant eius ſomnia. R. Impium ſit, maculare manus ſanguine pueri, idq́; fratris. Deducimini ab iſta mẽte. Nihil poteſtis grauius conſulere in nos, aut in patrem noſtrũ. S. Vnde tibi inceßit iſta noua religio? Vis ergo ſinamus eum uiuere, qui ſuis inſomnijs portẽdit, nos omnes, ipſosq́; adeò parentes, fore ſibi ſupplices? An nõ dignus eſt, qui eat ſomniatũ apud inferos? R. Frater, ſi ita futurũ eſt, qui caueas? ſin minus, quid times? uſq; adeó ne indignum tibi uidetur, ſi puer imperitus ſomniauit? quid poteſt eſſe culpæ in ſomnijs? poſtremò ſi adeò obfirmaſtis animum, neq; poteſtis auocari ab iſto cõſilio, eſt hic puteus ſine aqua. [b] ſaltẽ abſtinete manus, demittite in puteũ, culpa erit aliquãto minor. S. Ruben, tu uideris. Nobis certũ eſt, perdere puerũ. IO. Plurima ſalute uos impertio fratres amãtißimi. S. At nos te malo maximo impertimus, qui ſomnias te coli à fratribus, quos nunc ſalutas tam blandè. Agite, diſcindamus ueſtẽ hanc uerſicolorem, qua pater eum ornauit, delicatulũ puellũm. IO. Hei mihi, quid cogitatis mihi facere?

L. Ne-

L. Necabimus. IO. Ab ne facite. S. Stat ſententia. IO. O fratres chariſsimi, per Deū optimū maximū, per cōmunem noſtrū parentem, qui cōficietur mœrore, obſecro, obteſtor, quid feci? quod eſt meū ſcelus? quæ mala mens uos agit? S. Fruſtra rogas. IO. Fratrem ueſtrum? S. Certum eſt. I. Ab ueſter ſum, ueſter ſum frater. S. [c] Surdo canis: demittite. R. At ego ſubduco me hinc, non ſuſtineo adeſſe in tam triſti ſpectaculo. I. Heu me miſerum, quò detrudor? nimirum ad manes. O pater, pater, quàm triſtem nunciū accipies de filio? in quanto luctu trahes uitā? Iuda obſecro tuam fidem, miſerere mei, miſerere parentum. L. Sedeamus hic meridiaturi. IV. Video mercatores quoſdam uenientes: uultis auſcultare mihi? Quid profuerit nobis cruēta cædes fratris noſtri? Vēdamus eum potius Iſmaelitis, quos uidetis uenientes. Ne afferamus hoſtiles manus fratri: abſtineamus à ſanguine. Nam certè frater noſter eſt, procreatus eodē ſemine. Agite, ſinite uos exorari. L. Rectè ait. S. Sed ne fortè. IV. Frater, ne metue. amittes eum uenditione, non minus quàm nece. L. Ita eſt. accedit etiam quæſtus ex uenditione: quem quæſtum amittemus, ſi eum necauerimus. SI. Sino, fiat. IV. Heus mercatores, uultis ne emere puerū quendā elegantem? M. Fortaſſe: fac uideamus. IV. Extrahite eum è puteo: empturi ſunt. IO. Nunc quidem

[c] Surda eſt ad miſerorū preces crudelitas.

mihi

*mihi pereundum eſt, uideo. extrahor ad cædẽ.* IV. *Ne trepida, non necaberis, ſed uendêris.* En *uobis puerum lepida forma.* M. *Herclè bellum, & ingenuum. Quanti eum indicatis?* I. *Triginta argenteis.* M. *Accipimus. Accipite pecuniam.*

SENTENTIA.

Inuidia homines impellit ad quoduis facinus. Et Deus ſuos nõ equidẽ deſerit, ſed ut exploret, in extremos angores uenire patitur.

## IOSEPHVS CAPTIVVS.

Gen. 40.

ARGVMENTVM.

Ioſephus captiuus interpretatur ſomnia prægustatoris & piſtoris Pharaonis.

### Ioſephus, Prægustator Pharaonis, Piſtor.

Q*Vid accidit, ut hodie uultu ſitis adeò mœſto?* PR. *Somniauimus uterq;, &* a *caremus cõiectore.* IO. *At habet Deus cõiectores. Agite, narrate mihi.* PR. *Videbar mihi in ſomnis uidere ob oculos uitẽ, ex qua tres palmites orirẽtur: quæ deinde, quaſi germinaret, produxit florẽ, unde uuæ plenæ racemis matureſcebãt.* Erat *aũt mihi in manu poculũ* Pharaonis. *ita q; cæpi uuas, eaſq; in id expreßi, deinde tradidi ei in manũ.* IO. *Hæc eſt*

a Nimirum [i]ntelligebãt, [s]omnia inter [i]sum diuini[t]ùs [i]m mitti. [I]d quòd uerum eſt, & [q]uod etiam [t]um uulgo perſuaſum.

eſt interpretatio: Tres palmites,[b] tres dies ſunt. hinc ad triduū Pharao iubebit te produci è carcere, reſtituetq́; in locū muneris priſtinum, ſtabisq́; ei ad cyathos, ut antè. Quamobrem ubi adeptus fueris hoc tantum bonū, facito quæſo ut memineris mei, præſtesq́; mihi hoc beneficium, ut facias mentionē mei apud Pharonem, meq́; extrahas ex hac domo.[c] Nam ſurreptus ſum clàm ex terra Hebræorum: neq; quicquam feci, quamobrem compingerer in carcerem. PI.[d] Rectè ſanè interpretatus es. Sed audi meum quoque ſomnium. Tria alba caniſtra erant ſuper capite meo, in quorum ſummo inerant Pharaonis omnis generis cibi piſtorij, quos inde aues comedebant. I. Accipe coniecturam. Tria caniſtra, tres dies ſunt. Abhinc tres dies, iuſſu Pharaonis ſecuri ferieris, atque in crucem tollêris, ubi alites uorabunt tuum cadauer.

b Hoc eſt tres dies ſignificant.

c Hoc dicit, ut oſtendat ſe dignū eſſe qui liberetur.

d Et tamen nōdum ex euētu cognouerat. Secundum ſic apte quadrat interpretatio fidem facit. Idem in proximo dialogo fit in Pharaone.

SENTENTIA.

Deus pijs arcana detegit: idemq́; uiam ad eorum ſalutem ſæpe longè antè præparat.

## IOSEPHVS CONIECTOR.

Gen. 41.

ARGVMENTVM.

Ioſephus interpretatur Pharaoni duo ſomnia, ob eamq́; cauſam Pharao præficit eum toti Aegypto.

## Pharao, Ioſephus.

SOmniaui quiddã, quod nemo mihi poteſt interpretatione explicare. Te aũt audio eſſe cõiectorem ſomniorum, ideoq; te accerſiui. I.[a] Equidẽ is ſum, per quem Deus interpretetur ſomnium tuũ Pharao. Itaq; narra. P. Videbar mihi aſtare ripæ fluminis: atq; ex eo exierunt ſeptẽ uaccæ bene habitæ, & pulchræ uiſu, quæ paſcebãtur in carecto. Ecce autem deinde ſeptem aliæ graciles, & deformes ſupra modũ, & tenui corpore, quales nũquam uidi in Aegypto: quæ deuorauerunt priores. quas cum demiſiſſent in ſua uiſcera, tamẽ id nõ apparebat: adeò ſemper macie deformes erant, ut prius. Ego ſomno ſolutus ſum. Deinde rurſum oppreſſus ſomno, uidebar uidere ſeptẽ ſpicas creſcentes in uno calamo, opimas & formoſas: ſecundum quas ſuccreſcebant totidem aliæ graciles et tenues, & exeſæ uredine, quæ deuorauerunt ſeptem illas generoſas. Hæc ego indicaui coniectoribus: ſed nemo eſt qui poßit mihi explicare. I. Somniũ tuum [b] unum eſt Pharao. Deus præmonet te eorũ quæ facturus eſt. Septẽ uaccæ generoſæ, ſunt ſeptẽ anni: ſeptẽ ſpicæ item, idem uolunt: unũ idemq; ſomnium eſt. Septem uerò uaccæ & ſpicæ tenues, ſeptem alij ſunt anni, quibus fames uigebit. Hoc idipſum eſt quod dixi: Deus quod facturus eſt, tibi indicat. Sic habeto: Septem annos proximos futuros eße ferti

lißimos

[a] Rectè Deo [f]ert acceptũ quod acceperat à Deo.

[b] Hoc eſt idẽ indicat.

liſsimos frugū terræ, præſertim in Aegypto. quos ſequētur alteri, ita infeſti penuria omnis cibi, ut læta illa ubertas priorū ſit omnino cōſumenda fame. Tanta inquā laborabitur penuria, ut tantæ rerum abundantiæ ne ueſtigiū quidem ullū ſuperſit. Nam quod [c] bis ſomniaſti, id ideo factū eſt, ut intelligas omnino decretum eſſe Deo ita facere, idq́; breui. Quare [d] diſpice, Pharao, uirū aliquē ſcientē & peritum, quē præficias Aegypto. Præterea curatores & ædiles annonæ, qui legant quintas in Aegypto, cogantq́; quàm maximum numerū frumenti, his proximis ſeptē annis uberib. quod condant nomine tuo in urbes. Ita fiet, ut proximo ſeptēnio duplas conſequaris annonas, quib. Aegyptus defendatur à fame & pernicie altero ſeptēnio. P. O ſalutare conſiliū, & dignum homine ſapientiſsimo. An quiſquā hodie eſt, qui æquè ſpiret numen atq; hic? Ergo cum Deus indicet tibi Ioſephe tātas res, non eſt dubium quin tu ſis prudentiſsimus et ſapientiſsimus omniū. Itaq; iam nunc uolo ut ſis gubernator domus meæ, utq; omnis meus populus pareat imperio tuo maior ero te ſolio tantum. En trado tibi curam & gubernationem totius Aegypti. atque ad confirmationem huius rei, hunc annulum detractū meis digitis, induo tuis: teq́; dono hac ueſte byſsina, & hoc torque aureo. Iubeoq́; te uehi curru primo ſecundum meum: & uolo proclamari ante te, Cō-

c Quæ ſæp[...] us inculc[...] Deus, ea [...] tò decreu[...]

d Etiam [...] uinitùs i[...] miſſa mal[...] declinari [...] terdum p[...] ſunt.

*genulate. Ne uiuam Pharao, niſi tu unus eris in tota Aegypto, cuius iniuſſu non audebit quiſquã uel mutire. Deinceps iam non uocaberis Ioſephus, ſed Saphnathopaneas, ut nomine ipſo pollicearis interpretationem obſcurorum. Atque ego tibi deſpondeo Aſnatam, filiam Potiphræ pontificis Heliopolitani. I. At ego tibi Rex, pro tantis beneficijs habeo gratiam, quantam maximam poſſum: daboq; operam, Deo uolente, ut nec te mandati, nec me recepti muneris pœniteat.*

SENTENTIA.

Deus pios poſt dolores & infamiam mira arte euehit ad uoluptates & honores. Quod ſi non omnibus pijs accidit in hac uita: at in futura accidet. Nam prima pars uitæ Ioſephi, quæ calamitoſa fuit, umbra eſt huius uitæ piorum: altera uerò, futuræ. Atque idem dico de Iacobo & Dauide. Ad gaudia uenitur per dolores: ad honores, per infamiam: ad dulcedinem, per amaritudinem: ad altitudiné, per humilitatem: per mortem, ad uitam.

## IOSEPHVS AGNITVS.
Gen. 44.

ARGVMENTVM.

Filij Iſraelis reuocati de uia iuſſu Ioſephi, furti ſimulatè accuſantur: tandem Ioſephus ſeſe eis aperit.

Præ-

## Præfectus domus Ioſephi, Filij Iſraelis, Rubea, Iudas, Ioſephus.

REſtate uiri. Heus uos appello, ſiſtite greſſū. Hoccine eſt humanum factū, aut dignū hoſpitibus, penſare bonum malo? An neſciebatis eam eſſe, qua herus eſt ſolitus potare? At etiam ſperabatis eum ignoraturum, qui eſt diuinus? male omnino à uobis factum. F. Quid tibi uis homo, cum tua iſta iracūdia? aut quid nos accuſas? P. Ita uos Deus amet, ut neſcitis. F. Nam qui ſciamus? P. Suffurati eſtis pateram heri mei. Scitis nunc? At etiam ut fingunt uultum? IV. Pace tua dixerimus, uir optime: abſit procul à nobis iſtud facinus. Tute ſcis, ut reportauerimus ad te uſq; è finib. Cananæorum, argentum repertum in ore ſaccorū noſtrorū: tantum abeſt ut ſuſtulerimus è domo domini tui aurū, aut argentū. Ita tecū agemus. Si quem penes deprehenſa fuerit patera, ipſe moriatur, nos omnes perpetuæ ſeruituti addicamur. P. Imò agemus mitius. Qui fuerit conuictus furti, mihi ſeruus eſto: cæteri liberi diſcedunto. F. Placet: deponamus ſarcinas ocyus. hem, ſcrutare ut libet. P. Placet conquirere à maximi ſarcina, ad minimi. Hic quidem non eſt, neq; hic: ſed profectò inuenietur. Vbi ubi eſt, diu celari non poteſt. Euge manifeſtū furtum. Hic eſt in ſacco minimi natu. An etiam nunc pote-

ſtis negare? deprehēdi'ne ego furem manifeſtariū? F. Aperta res eſt, perijmus funditùs. Heu rem miſeram, & luctuoſam. An ulli unquam mortales fuerunt æquè infortunati, atque nos ſumus? IV. Equidem nequeo ſatis mirari. Atat, data nobis ſunt uerba, redeamus properè omnes ad Saphnathopaneam, ſi ulla ſupereſt ſpes ſalutis. Ah pater pater, quàm metuo malè, ne tibi accidat, quod metuebas tantopere. IO. Quod facinus feciſtis hoſpites? An ignoratis, me [a] unum eorum eſſe qui diuinant? IV. [b] Quid dicemus domine? quid loquemur? quā cauſam afferemus? Deus patefecit peccatum [c] noſtrū: ecce nos tibi ſeruos, unà cum eo apud quem inuenta eſt patera. IO. Bona uerba. imò ipſe unus mihi ſeruiet, uos redite ſalui ad patrem ueſtrum. IV. Quæſo ut liceat mihi pauca loqui apud te, cum bona uenia. nam tu quidem es alter Pharao. Cum primùm huc uenimus, ut tute ſcis, frumentādi gratia, rogaſti num'nam eßet nobis pater, aut frater. Nos reſpondimus, patrem eße nobis ſenem, fratremq; natum iam annoſo patre, cuius item germanus alter exceßiſſet uita. illum tum ſolùm reſtare domi cū matre, patriq; eſſe charißimū. et tu iußiſti fratrē illū adduci ad te, quòd diceres uelle te uidere. Nos reſpondimus, patrē non poſſe carere eo, quin moreretur præ mœrore. Tum tu interdixiſti nobis aditu ad te, niſi minimus natu frater cōpareret nobiſcum.

Diuinū eſ-
ideoq; po
ſſe diuina
furtum ue
ſtrum?
ummiſsio
conatur
las lenire
ephum.
Atqui ſcie
Iudas, ſe
innocen
Sed quia
t parti-
s cœtus,
cati quo
e partici-
m ſe facit.

*ſcum. Nos retulimus omnē rem patri. Cumq́; iube-
ret nos redire huc eadē de cauſa, negauimus uentu
ros ſine fratre. Pater dicere, ex duobus filijs, quos
ſuſtuliſſet ex uxore, alterum à feris deuoratū eſſe,
nec poſtea uiſum ſibi: alterum ſupereſſe. qui ſi ab-
duceretur à ſe, & [d] aliquid humanitùs accideret ei,
nos fore in cauſa ut ſenex miſerè interiret. Nunc
ſi reuertar ad eum, neq; reducā puerū, quem unicè
amat, ſimulatq́; uiderit me, morietur: atq; ita fueri
mus autores miſerrimæ mortis patris noſtri, eiuſq́;
ſenis. Atqui ego uas factus pueri ſiſtēdi. Quare ob
ſecro, ut [e] ego potius ſeruiam ſeruitutem apud te,
pro puero: ipſe redeat domum, cum fratribus. Ne-
que enim ſuſtineo redire ad patrem, ſine puero, ne
uideam mala quibus afflictabitur. IO. Enimuero iā
non contineo me, nec poſſum amplius diſsimulare.
Vos exite omnes foràs. O' fratres mei, ego ſum Ioſe
phus. Obſecro, eſt'ne ſuperſtes pater? Quid obſtu-
puiſtis? amplectimini me. Oh, nō cōtineo lachry-
mas. Ego ſum Ioſephus germanus ueſter, quē uen-
didiſtis mercatorib. euntib. in Aegyptū. Proinde ne
angimini, ne'ue dolete, quòd me uēdideritis. Nam
[f] hoc totū profectū eſt à prouidētia Dei, qui uoluit
ut huc anteuenirem. Etenim duo anni fame infeſti
elapſi ſunt: ſupereſt adhuc quinquenniū, quo neq;
ſementis fiet, neq; meſsis. Quamobrem Deus præ-
miſit me in hæc loca, quò ſciebat uos eſſe uenturos,*

d moreretur.

e Magna I[…] dæ pietas qui ipſe ſe[…] uire malit quàm pat[…] angi Beni[…] minis deſi[…] rio.

f Dei ſap[…] tia homin[…] peccata […] tit in bon[…]

*ut eſſet qui ſeruaret uos, paternamq́; domum. Itaq; non uos, ſed Deus miſit me qui effecit ut eſſem Pharaoni pater, toti eius familiæ dominus, uniuerſis Aegyptijs princeps. Quocirca proficiſcimini continuò ad patrem, & narratote ei, me eſſe & uiuũ, & magnum, atq; gratioſum: proinde ne cunctetur commigrare ad me unà cum tota domo, & pecoribus. Supellectilem ne moretur: plurimam enim hic eſſe. Nam alam uos in terra quadã feraci, non procul hinc. Ecce uos uidetis oculis ueſtris, uidet chariſsimus frater Beniamin, ut colloquar uobiſcum meo ipſius ore: licet agnoſcatis, & omnia renuncietis patri. O mi Beniamin, teneo' ne ego te? ut libenter amplector chariſsimũ mihi capitulum? Agite, amplectar uos omnes. Saluete fratres, redditi mihi poſt longum tempus.* FI. *Salue & tu frater mitiſsime.*

SENTENTIA.

Deus eſt mirificus, etiam peccata ſuorum conuertit ad ipſorum ſalutem.

## MOSES EXPOSITVS.

Exod. 4. 2.

ARGVMENTVM.

Moſes infans à matre expoſitus, reperitur à filia Pharaonis, & matri ignoranter traditur alendus.

Ioca-

# Iocabeda mater Moſis, Maria ſoror, Termuthis filia Pharaonis, Ancilla.

HVcuſq; euaſimus clanculum, & iam peruenimus ad flumen. Nunc exponẽdus eſt hic infans puer, ne Pharao reſciſcat eum eſſe ſeruatum à nobis, contra ſuum mandatum atq; uoluntatem. Nam quòd ſeruauimus eum iam tres menſes, fecimus cum magno periculo. Sed melius erat uenire in diſcrimen etiam de uita, quàm ſinere necari tam formoſum puerum. O crudelem regem, qui iuſſerit interfici omnes partus mares. Quàm multi ſunt perempti iuſſu eius, in ipſo ingreſſu uitæ? Quæ eſt unquã audita tanta immanitas? infantes iugulari in ipſo limine & ingreſſu uitæ? O mi filiole, ego mater miſera, cogor exponere te hic in papyro: te, quem tuli utero, quẽ peperi, quem per tres menſes occultaui: & occultarem adhuc, ſi poſſem. O rem acerbam: me ne ſeparari à te, ſine ulla ſpe tui unquam uidendi? Quid me futurum eſt? quid te autem fili, quem hic deſero? Verùm cum non poßimus quod uolumus, uelimus quod poßumus. Quod meum fuit, feci, ut te occultum haberem. Nunc commendo te clementiæ & prouidentiæ diuinæ. Vale meæ deliciæ, uale mi filiole. M. Mater, ego hic manebo in occulto, ſi tu permittes, ut uideam quid futurum ſit. M Permitto, & do-

ſnum redeo. T. Hic eſt flumen, quò uenimus ad lauandum. Vos pediſſequæ hic inambulabitis ſecundum flumen: ego cum ancilla concedam in hunc receſſum amœnum & occultum. Sed quid uideo in papyro, ancilla? uiſe quid ſit. Videtur mihi eſſe ciſta. A. Et rectè uidetur, hera: & quidem eſt oblita bitumine & pice. T. Adfer eam huc. Aperiamus. Ah miſelle: puer eſt uagiens: miſeret me eius. Ex pueris Hebræorum eſt. M. Venio in ſummam ſpem conſeruandi pueri. Accedam. Salue domina. T. Quid tu ais? M. Vis'ne ut accerſam tibi nutricem ex Hebræis, quæ nutriat tibi puerum? T. Bene dicis, accerſe. M. Iam hic aderit. T. Bonis auſpicijs huc deſcendi.[a] Habeo puerum, quem curabo educandum pro meo. Nihil potuit accidere mihi optatius. Neque uereor offendere meum patrem, in re tam pia & humana. Ah ſcelus eſt, iugulare partus recentes. At quàm elegans eſt, quàm bene natus? Nónne flagitium eſt, necare tales pueros? M. Hic tibi adduco nutricem, domina. T. Mulier, tu educabis mihi, & enutries hunc puerũ. Ego tibi ſoluam mercedem. M. Faciam.

a Deus in cõſeruandis ſuis utitur interdum ope ...a hominum ...ongè aliud ...ogitantium ...uàm ipſe cogitat.

SENTENTIA.

Quos Deus ſeruare uult, eos equidem in ſumma pericula uenire patitur, at non perire.

DVMVS. Exod. 3.

ARGVMENTVM.

Ioua in dumo ardente alloquitur Moſem, eumq; mittit in Aegyptum, ad liberandos Iſraelitas ex ſeruitute.

## Moſes, Ioua.

DEum immortalem, quid mõſtri uideo? dumũ ita ardentẽ, ut tamẽ nõ cõſumatur? Libet uidere quid hoc ſit rei. I. Moſes Moſes. M. Quid eſt? I. Locus hic ſacer eſt. noli accedere huc. Detrahe tibi calceos de pedibus. Ego ſum Deus patrũ tuorũ, Deus Abrahami, Deus Iſaaci, Deus Iacobi. [a] Vidi anguſtias populi mei qui eſt in Aegypto, gemitumq; audiui, quem exprimit uiolentia exactorum operis. Noui labores meorum. Itaq; deſcendi, ut eripiam eos è manibus Aegyptiorũ, abducamq; ex illa terra, in terram bonam & amplam, abundantem lacte & melle: quam incolũt Cananæi, Hettæi, Amorræi, Pherezæi, Heuæi, Iebuſæi. Et nunc uolo mittere te ad Pharaonẽ, quò educas populum meũ, poſteros Iſraelis, ex Aegypto. M. Nam [b] quis ego ſum, ut adeam Pharaonem, educamq; Iſraelitas ex Aegypto? I. Adero ego tibi, atque hoc ſigno intelliges te eſſe à me miſſum. Cum eduxeris eos ex Aegypto, coletis Deum in hoc monte. M. Agè ſanè, adiuero Iſraelitas, dixero me miſſum à Deo patrum ipſorum. Quod eſt, dicent, nomen eius? Hic ego quid reſpondeã? I. Ero qui ero. Dices Iſraelitis: Ero

a Reſpiciũ Deus miſeri as ſuorum.

b Pij ſunt ſi bi conſcij in firmitatis ſuæ.

ſum ego miſit me ad uos: dices inquā, miſſum te à[a] Ioua Deo patrum ipſorum, Abrahami, Iſaaci & Iacobi: atque hoc eſſe nomen meum immortale, quo nomine uolo notus eſſe in ſempiternum. I modò, conuocatisq́; ſenioribus Iſraelitis dicito, te à me eſſe miſſum, qui tibi apparuerim: quiq́; ſtatuerim eos reſpicere, liberareq́; calamitate, qua opprimuntur per Aegyptios, atq; auehere in regionem longè omnium feraciſſimam. Vbi te audierint (audient enim) adibis tu unà cum ſenioribus regem Aegypti, quem admonebitis nomine Dei Hebræorum, ut ſinat uos procedere iter tridui per deſerta, ueſtroq́; Deo ſacrificare. Nec uerò me latet, non permiſſurum, niſi ui coactum.[d] Quare afflictabo Aegyptū miris modis, ut tandem amittat uos libens. Quinetiam ne abeatis uacui,[e] ponam populum in gratiam cum Aegyptijs, perficiamq́; ut mulieres egreſſuræ exorent uicinas & hoſpites uaſa aurea & argentea, & ueſtem: quæ deinde impoſita ueſtris liberis exportabitis, atque ita compilabitis Aegyptum. M. At enim non habebunt fidem dictis meis, negabunt que uiſum mihi Iouam. I. Quid iſtud eſt, quod tenes in manu? M. Virga eſt. I. Abijce humi: quid nunc, quid eſt? M. Perij, ſerpens eſt. I. Ne fuge, ſed prehende manu caudā eius. Vides rurſum uirgam factam: ut credant tibi uiſum eſſe Iouam. Age rurſum immitte manum in

ſinum

[a] Ioua Hebraicum Dei nomē ductū eſt à futuro uerbi quod ſignificat Eſſe.

[d] Deus occaſionem quærit affligendi iniuſtos.

[e] Deus ſuis etiam inimicorum beneuolentiam conciliat.

ſinum tuum. educ: uides tam albam lepra, quàm eſt nix? Nunc refer in ſinum. educ: uides ſanam eſſe iterum, ut eſt cæterum corpus? Quòd ſi primo ſigno non adducentur, ut fidem habeant tibi: at altero. Sin ne duobus quidem prodigijs perſuaſum eis fuerit, ſumes de aqua fluuij: quam ubi fuderis in terram, fiet ſanguis. M. Quæſo te, Domine: neq; antea eram diſertus, neq; nunc ſum poſt tuum colloquiũ: nam laboro titubantia oris, & tarditate linguæ. I. fEcquis dedit os homini? aut quis facit mutum, aut ſurdum? quis uidentem, aut cæcum? An nõ ego is ſum? I modò: ego moderabor tuæ linguæ, tibiq; ſuggeram quid ſis dicturus. M. Obſecro, mitte idoneum aliquẽ. I. Enimuerò odioſus es. Eſt tibi frater Aharon Leuita. is bene diſertus eſt, ſcio: quin procedet tibi obuiam, teq; uiſo lætabitur animo. Ei tu præibis uerbis, quod uoles: ego uerò moderabor tuo ori, & eius: præmonſtraboq; quid ſit uobis faciendum. Ipſe alloquetur populum pro te: eritq; tibi pro ore, tu ei pro Deo. Feres etiam manu iſtam uirgam, qua edes portenta. Abi ſanè.

f Quibus mã dat aliquid Deus, ijs dat uires ad illud exequendum.

SENTENTIA.

Deus uoce balborum deijcit hoſtes ſuos.
Debet eloquentia ſeruire pietati.

## VITVLVS. Exod. 32.

ARGVMENTVM.

Moſes pacat Iouam iratum Iſraelitis ob aureum uitulum, ipſe pœnas illis irrogat.

Ioua,

## Ioua, Moſes, Ioſua, Aharon, Leuitæ.

ABi, deſcende. Iam enim deprauati ſunt populares tui, quos eduxiſti ex Aegypto. Deflexerunt citò de uia, quam docuerã: duxeruntq́; ſibi ex auro uitulum, quem adorant, cui ſacrificant: dicuntq́; Deum eſſe, à quo ſint educti ex Aegypto. Video ſanè populum eſſe intractabilem, & refractarium. Quamobrẽ ſine me ut iraſcar, cõficiamq́; eos, deducãq́; ex te gentem magnam. M. [a] Cur exardeas ira in tuos quos eduxiſti ex Aegypto, magna ui, manuq́; ualida? [b] an ut iactent Aegyptij, eductos à te malicioſe, ut deleres eos in montib. ad internicionẽ, prorſusq́; tolleres è medio? Quin omitte iſtam tuam iracundiam: atq́; ita ut decet, remitte hanc noxam populo. Memineris Abrahami, Iſaaci & Iſraelis, cultorum tuorum, quorum poſteritatem iuraſti te multiplicaturum ad numerum ſtellarum, daturumq́; ei terrã illam, quã poßideat in æternum. IO. Ius oras: hem remitto. M. Facis ut te dignum eſt. Ego uerò deſcendo de monte, cum his duabus tabulis. IOS. Quem clamorẽ audio? pugnatur in caſtris. M. Non eſt iſte clamor urgentiũ ui, aut terga uertentium: ſonum audio cantantium. Sed accedamus. Hei mihi, quod flagitium uideo? [c] totus totus iracundia ardeo: ualeant tabulæ. Ah frater frater, quid tibi fecit hic populus, ut eum obligares

a Pij orant pro ſontibus.

b Vult Deus etiam apud alienos non malè audire.

c Pij peccatis grauiſsimè offendũtur.

*gares tanto ſcelere? A. Ne iraſcere, domine. Tu te noſti hunc populum, quàm ſit peruerſus. Cum flagitarent à me, ut facerem ſibi Deos, qui præirent eis (ſeſe enim neſcire quid accidiſſet iſti Moſi, à quo eßent educti ex Aegypto) iußi, ut quod quiſque haberet ornamenti aurei, detraheret ſibi, & afferret ad me: quod etiã fecerunt. id ego immiſi in ignẽ, unde effectus eſt hic uitulus. Itaq; uides eos nudatos ornamẽtis: id quod ideo feci, ut eos notarẽ ignominia apud hoſtes. M. Video. Nunc ſi quis à Ioua ſtat, huc ad me. Bene habet, cõuenerũt omnes Leuitæ. Agite nunc uiri fortes, accõmodate ſuum quiſq; enſem lateri, ite per tota caſtra:[d] perimite ſuum quiſq; fratrẽ, amicũ, proximũ: nemini parcite. nam ita iubet Ioua, Deus iſraelitarum. L. Ita fiet.*

d Sontes puniendi ſunt, nulla habita perſonarum ratione.

SENTENTIA.

Populus, ſi abſunt boni magiſtri, facilimè labitur in grauiſsimos errores. Deus piorum precibus pacari ſe ſinit.

## CONQVERENTES. Num. 11.

ARGVMENTVM.

Populus uoluptates Aegyptias deſiderat, faſtidiens cœleſtem cibum. Et Ioua conquerenti Moſi pollicetur, ſeſe illis ſuppeditaturum carnem, ſed ad pœnam.

Populus, Moſes, Ioua.

*VTinam nunquam emigraſſemus ex Aegypto. Quid enim agimus in hac uaſta ſolitudine?*

dime? quis dabit hic nobis carnem, qua ueſcamur? Nam cùm uenit in mentem piſcium, quibus [a] immunes ueſcebamur in Aegypto, tum autem cucumerum, peponum, porrorũ, ceparum, alliorũ: [b] conſeneſcimus, nihil ante oculos habentes præter neſcio quod manna. M. Hei mihi, quas querimonias audio? O`Ioua, cur ita mihi aduerſus, ita à me uoluntate alienus es, ut mihi impoſueris onus totius huius populi? Nunquid ego populum hunc concepi? nunquid peperi? ut mihi iubeas eum ferre in ſinu meo, quomodo fert nutrix alumnũ, in terrã quam iuraſti maioribus eius? Vnde mihi carnes ad tantum populum, qui eas à me cum fletu flagitat? Non poſſum ego ſolus eum ſuſtinere: eſt enim grauior quàm pro me. Quod ſi iſto modo agis mecũ, interfice me potius, ſi quid apud te autoritatis habeo, quàm ut feram hoc malum. I. Congrega mihi ſeptuaginta uiros, de ſenioribus Iſraelitis, quos ſcis eſſe ſenatores & primarios populi: coſq; adducito ad oraculare tabernaculum, ibi adfuturos tecum. Ego deſcendam, & ibi colloquar tecum: [c] demãq; de ſpiritu quo tu præditus es, quo eos afflabo, ut ipſi tecum ferant partem oneris populi, ne tu ſolus ſuſtineas. Populo aũt ſic dicito: Luſtramini in craſtinum, & ueſcimini carne. Fletus enim ueſter peruenit ad aures Iouæ, dum flagitatis carnem, & deſideratis Aegyptum. Dabit uobis Ioua carnẽ, quã comedatis,

a Hoc eſt, ſine ullo negocio.

b mœrore contabeſcimus.

c Deus ſpiritualia quoq; bona, nō minus quàm carnalia, ſuis per ſuos, tanquam flammam de flãma, impertit.

*medatis: & comedatis nõ uno die, non duobus, nõ quinq;, non decem, non uiginti: ſed ad* [d] *menſtruã diem, dum uobis exeat per nares, & faciat nauſeam: quoniam* [e] *cõtempto Ioua, qui uerſatur inter uos, plorantes apud eum, conquerimini uos exijſſe ex Aegypto.* M. *Sexcenta ſunt millia peditũ huius populi, qui adeſt mecũ: & tu dicis te daturum eis carnes, quib. ueſcãtur per menſem? Nunquid eis mactabuntur oues, & capræ, & boues, quæ ſatis ſint? Nunquid uniuerſi piſces maris cõgerẽtur, qui eis ſuppetant?* I. *Nunquid debilitata eſt Iouæ manus? Iam uidebitis,* [f] *euentura ne promiſerim, nec ne.*

d Spacium menſis.

e Contemn tur Deus, eius benefi cia contem nuntur.

f Hoc eſt, uentura 'n ſint quę pr miſi.

SENTENTIA.

Cupiditas rerum carnalium parit faſtidium ſpiritualium. Et Deus carnalia petentibus interdum largitur: ſed illa breuis uoluptas parit longos dolores. Cum maximè explebuntur carnales uoluptatibus, aderit pœna.

## CALEBVS. *Num.13.*

ARGVMENTVM.

Populus, deterrentibus exploratoribus, deſperat de expugnanda promiſſa terra. Qua re iratus Ioua, iurat non peruenturos, exceptis duobus qui confiderant, uidelicet Ioſua & Calebo.

## Exploratores, Calebus, Populus, Ioſua, Moſes, Ioua.

VEnimus in eam terram Moſes, & Aharon, & Iſraelitæ, ad cuius explorationem miſsi ſumus à uobis: & quidem abundat lacte & melle. atq; ecce uobis fructus illius terræ. Videtis quanta ſit hæc uua, quæ in palo portetur à duobus: uidetis & hæc malogranata, & ficus. [a] Sed incolas habet fortes, et urbes maximas, easq; munitiſsimas. Enaci quoq; prognatos illic uidimus: Amalechitæ ad auſtrum incolunt: Hettæi, & Iebuſæi, et Amorrhæi in montanis: Chananæi autem accolunt mari & Iordani. CALEB. Ne dubitemus eò proficiſci, & inuadere illos fines: nam ſumus futuri uictores. E. Minimè uerò: eſt enim populus ille fortior quàm nos: terra infauſta, ſuorum habitatorum conſumptrix, in qua non niſi immani ſtatura homines uidimus. Quid quòd uidimus Enacinos, de genere Gigantum? cum quibus comparati, uidebamur nobis eſſe locuſtæ. P. Vtinam aut in Aegypto mortui eſſemus, aut in hac ſolitudine moriamur. Cur enim adduxit nos Ioua in hāc terrā ferro trucidandos? mulierib. noſtris & paruulis prædæ futuris? Nónne ſatius nobis eſt repetere Aegyptum? Creemus nobis imperatorem, quo duce reuertamur. IOS. Cauete Iſraelitæ, ne quid faciatis, cuius uos poſthac pœniteat. Terra, quam explorantes luſtrauimus,

[a] Inſidentes ...iffiecultate ...peris terrē ...ur, non cōſi ...erātes quid ...eus, qui p- ...iſit, poſsit, ...d quid ipſi ...on poſsint. ...t fidentes ...ut mox Io- ...a) contrà.

*mus, terra eſt bona in primis. Si nobis fauerit* Io*ua, intromittet nos in eam, eamq́; nobis dabit, terrā ſcatentē lacte & melle. Cæterùm* [b] *ne rebellate cōtra* Iouam*, & ne illius terræ incolas timete, quos nos præſidijs deſtitutos, adiuuante* Ioua*, conficiemus.* Deponite *metum.* P.[c] *Lapidētur, lapidētur.* IOV. *Quouſq; tandem irritabit me iſte populus? Moſes: quouſq; mihi fidem nō habebit, tot miraculis per me editis apud eum? Quin eum peſte illata excindo, ducturus ex te gentem maiorē, potentioremq́; quàm iſta eſt.* M. *Ergo cum audient Aegyptij (quib. de medio ui tua eripueris hunc populū) cumq́; audient incolæ iſtius terræ, te,* Ioua*, qui in hoc populo uerſatus, ab eo conſpectus ſis præſens, ipſius oculis: te, cuius nubes ſupra eum ſteterit: qui præiueris ei interdiu in columna nubis, noctu in columna ignis: qui inquam audiuerint hunc populum à te funditùs eſſe deletum, dicent te, quia nequiueris intromittere eos in terram, quam eis iuraueris, trucidaſſe eos in deſertis. Quare utere excellenti iſta uirtute,* Domine*, de qua loquens ita dicebas:* IOVA AD IRAM TARDVS, AD CLEMENTIAM PROPENSVS, CVLPAM ET PECCATA CONDONANS: IN POENA AVTEM IRROGANDA, PARENTVM CVLPAM IN NATOS, AD TERTIAM

b Non ſperare quę [illegible] miſit Deus rebellare eſt.

c Qui ſperanda docent quæ promiſit Deus, in eos bacchatur uulgus.

ET QVARTAM STIRPEM PERSEQVENS. *Remitte quæſo culpã huic populo, ut tua benignitas poſtulat, utq́; ei ab Aegypto hucuſq; remiſiſti.* IO. *Remitto, ut poſtulas. Verũ tamẽ ne uiuã, niſi* [d] *Iouæ gloria replebit totũ orbẽ terrarũ. Nam* [e] *eorũ qui uiderunt meam gloriam, & miracula quæ feci tum in Aegypto, tum in ſolitudine, & me tamen tentauerunt iam uel decies, neq; mihi obtemperauerunt: eorũ inquã qui me irritauerũt, nemo uidebit terram, quam iuraui maiorib. eorũ. Sed* [f] *Calebũ meum (quoniã alio animo præditus, quàm cæteri, mihi obſequutus eſt) introducam in terrã, quam adiuit: eamq́; poßidebit eius progenies. Cras reuertimini in ſolitudinem, uerſus mare rubrũ. Etenim quem ad finẽ tandẽ audiam iſtius in me ſceleratæ multitudinis Iſraelitarũ* [g] *maledicta? Renũcia hæc eis: Ne uiuã (inquit Ioua) niſi, quemadmodũ locuti eſtis audiente me, ſic faciã uobis. In iſtis deſertis cadãt cadauera ueſtra, & omnis ueſtrûm numerus, quotquot recenſiti ſupra uigeſimũ annum, murmuraſtis in me.* [h] *Nõ intrabitis inquam in terram, in qua promiſi me collocaturum uos. Excipio Calebum Iephonis, & Ioſuam Nunis filiũ. Paruulos quoq; ueſtros, quos dixiſtis prædæ futuros, introducam in terram, quam uos renuiſtis, eaq́; potientur. Atque interea, dum ueſtra cadauera per deſerta labuntur, & conſumuntur,*

[d] Glorioſum quiddam, & toto orbe celebrandũ faciam.

[e] Quos Dei miracula nõ adducunt ad ſperãda quæ ipſe promiſit, ea non aſſequentur quæ promiſit.

[f] Fidẽtes Dei promiſſa cõſequentur.

[g] Deũ negare promiſſa præſtiturũ, de Deo male dicere eſt.

[h] Qui Deo non credũt, ij promiſſã felicitatẽ nõ cõſequẽtur, quamuis à Deo iam promoti.

tur,[i] liberi ueſtri ibidem pœnas dabunt ueſtri meretricij, per quadraginta annos, quibus uos ſupplicio afficiemini: pro numero dierum, per quos dies explorauiſtis terram, totidem annis ductis pro totidem diebus: ſentietisq; quid ſit, in me eſſe cōtumacem. Ego Ioua & dico, & ſine dubio efficiam, ut huius peruerſæ multitudinis homines, qui contra me coierunt, conſumantur, & intereant in hac ſolitudine.

i Nati Iuu[...] peccata pa[...] tum, ſed ne[...] æternis po[...] nis.

SENTENTIA.

Nihil eſt pernicioſius illis qui docent minora ſperare quàm ferunt promiſſa Dei: quibus tamen maxima pars hominum credit. Deus ignauos & diffidentes auerſatur, atq; deſerit: confidentes uerò iuuat. Tantum quiſque poteſt, quantum ſe diuina ope poſſe credit: ſi modò eſt eius fides fundata in Dei promiſsis.

## BALAAMVS. Num. 22.

ARGVMENTVM.

Aſina Balaami ab ipſo, quia reſtitaret, uerberata, loquitur: & Genius, qui ei in uia obſtabat, Balaamum alloquitur.

Balaamus, Aſina, Genius.

VT te Deus malè perdat aſina, quæ me inuitum de uia auehis in agrum. At ego te pro iſthoc maleficio onerabo ictibus improba. Ary, ary: quin ergo redis in uiā? Nunc ſumus inter duas

*maceriaſ, non licebit tibi amplius declinare.* Hei *mihi, attriuit mihi pedem ad maceriam.* At *diſpe-ream, niſi te malè multo plagis. Ary, ary. quid hoc mõſtri eſt? ſuccumbit. at iam ſaxo te attolles: alio-qui hic te contundam uſq; fuſte. hem.* A. *Quid in te cõmiſi, ut me iam tertiùm cæderes?* B. *Rogitas, im-proba, quæ me hic ludificaris indignè?* [a] *atq; utinã mihi eſſet gladius præ manu: nam te hic iam confo-derem.* A. *Non'ne ego ſum aſina tua, cui tu ſemper hactenus inequitaſti?* [b] *Num quid tale ſolita ſum fa-cere tibi?* B. *Nihil.* G. *Balaame, cur cæcidiſti aſi-nam tuam iam tertiùm? Ecce ego ipſe ueni tibi ad-uerſatum, quia hoc iter ſuſceptum eſt cõtra meam ſententiam. Aſina uerò ubi me uidit, declinauit me iam ter: quod niſi feciſſet, profectò iam te interfe-ciſſem, eam uerò ſiuiſſem uiuere.* B. *Peccaui, fa-teor: ſed non uideram te mihi obuium in uia. Itaq; ſi hoc iter tibi diſplicet, reuertar.* G. *Imò eas licet cum iſtis: ueruntamen uide ut ea demum dicas, quæ tibi ſuggeſſero.*

Ira furor [b]reuis eſt.

[C]um inſoli[t]um aliquid [a]cidit, cogi[ta]ndũ eſt in-[ter]ditã aliquã [eſ]ſe cauſam. [...]q; cogno-[ſc]ẽda eſt, an [ali]quã quic-[qu]ã ſtatuas.

SENTENTIA.

Falſi uates minus interdum uident, quàm iumenta.

## TRANSIORDANINI. *Num. 32.*

ARGVMENTVM.

Rubenenſes & Gadini impetrant à Moſe ſedem trans Iordanem.

Rube-

## Rubenenſes & Gadini, Moſes.

HAec regio quam Iſraelitæ cæperunt, cæſis, Ioua duce, incolis, regio eſt apta pecori alendo. nos autem habemus pecus: quod niſi tibi moleſtū eſt, Moſes, liceat nobis poßidere hanc terrā, ut non traijciamus Iordanem. M. [a] Scilicet fratres ueſtri ibunt in bellū, uos hic manebitis ocioſi? Cur deterretis animos Iſraelitarum, ne perueniāt in regionem, quam ipſis Ioua dedit? Ita nimirum fecêre patres ueſtri, quādo eos ego miſi à Cade[illegible]e ſpeculatū regionē. Cum enim perueniſsent ad fluuium Eſcolem, uidiſſentq́; terram, fregerunt deinde animos Iſraelitarum, ne irent in terram ſibi à Deo datā. Quare iratus Deus, eodem die iurauit, nullum eorum qui egreßi eſſent Aegyptum, qui modò exceßißet uigeſimum annum, uiſurum terram, quam ipſe promiſerat Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo: eo quòd non parauiſſent ſibi: exceptis Calebo & Ioſua, qui prauerant. Ergo iratus, eos ductauit ultro citroq́; errantes per deſerta quadraginta annos, donec tandem deſijt totum illud genus hominū qui offenderant Iouam. Ecce autem uos extitiſtis pro patribus ueſtris, qui augeatis numerum nocētum, ut ira Iouæ in Iſraelitas incremēto augeatur. [b] Nā ſi deſeretis eos, ductabit eos adhuc per deſerta, atque ita perdideritis hunc populum. R. Aedificabimus

a Aequū e… fratres e… ſocios lab… rum.

b Similia … cata' ſeq… tur pœna… milis.

*bimus hic caulas pecudibus noſtris,& urbes paruulis & imbellibus:nos uerò in armis erimus parati ante Iſraelitas,donec collocauerimus eos ſuo loco.Noſtri autem liberi, & cætera turba ad bellum inepta,manebũt in urbibus muratis, ut ſint tuti ab incolis terræ.Nec reuertemur domum, quin prius Iſraelitæ uenerint ſuæ quiſq; in hæreditatis poſſeſſionem.Neq; enim cernemus hæreditatem cum eis* [illegible]*ns Ior*[illegible]*anem,*[c] *quibus obuenerit cis Iordanẽ,o*[illegible]*ſus.* M. *Si quidem re præſtabitis, quod* [illegible] *uerbis, armatiq; ad bellum,quotquot* [illegible]*rre arma,Ioua ſpectante,Iordanẽ tranſ*[illegible]*on redituri niſi deturbatis à Ioua hoſti*[illegible]*raq; ſubdita Iouæ imperio:ſi inquã ita age*[illegible]*enietis poſtea,purgati & Iouæ & Iſraeli*[illegible]*t*[illegible]*q; hac quidẽ lege poßidetote terrã,Ioua uo*[illegible]*te*[illegible]*e.Sin hæc non feceritis, ſic habetote,uos peccare in Iouã,* [d] *ueſtrumq; peccatũ in uos recaſurũ.*

Videlicet uobis

Qui in Deum peccat, ſuo malo peccat.

SENTENTIA.

Quibus iam proſpectum eſt,ij debent cæteros, quibus nondum proſpectum eſt, adiuuare.

## RACHABA. Ioſuæ 2.

ARGVMENTVM.

Rachaba meretrix abditos apud ſe exploratores Iſraelitarum clam dimittit per feneſtram, pacta cum eis de ſalute ſua & ſuorum.

Mini-

## Miniſtri regis Hierichuntis, Rachaba, Exploratores Hebræi.

*RAchaba, nos ſumus huc miſsi à rege, ut abducamus homines eos qui diuerterũt ad te. uenerunt enim gratia explorandæ totius regionis: proinde uide ut eos producas nobis.* R. *Ad me quidem uenerunt homines quidã, qui cuiates ſint, me latet:*[a] *ij cum ueſpere clauderetur porta, exierunt: nec ſcio quò ſe receperint. Si uoletis cõſequi uelociter, aſſequemini. Salua res eſt, abierunt. Nunc adeo hoſpites, quos occului in tecto ſub faſcibus lini, ut eos ſeruem beneficio meo. Heus heus hoſpites: dormitis?* EX. *Nondum.* R. *Attendite quæ dicam. Non ignoro, Iouam dediſſe uobis hanc terrã: noſq́; omnes incolas huius terræ perculſos ueſtri terrore, abieciſſe animos.*[b] *Nimirum audiuimus, ut exiccauerit Ioua mare rubrum, quo uobis patêret iter abeũtibus ex Aegypto: utq́; tractaueritis duos reges Amorræorum, qui trans Iordanem habitãt: Sehonem dico, & Oggum, quos deleuiſtis funditùs. Quæ res ubi audita eſt, concidimus animis, nec iam quiſquã eſt qui audeat uel mutire in uos: propterea quòd Ioua Deus ueſter, Deus eſt tam ſuprà in cœlo, quàm infrà in terra. Quocirca iurate nũc mihi per Iouam, ſi ego uos demerita fuero meo beneficio, uos quoq; parem gratiam relaturos domui meæ paternæ: & mihi date certum ſignum, quo*

a Pia fra[...]

b Ex præſ[...] tis conijci[...] dum eſt [...] futuris.

*conſuletis ſaluti mei patris & matris, & fratrum & ſororum, & omnium quæ habent, aſſeretisq; uitam noſtram à morte.* EX. *Fidem damus: nec recuſamus mortem, (modò ne indicetis nos) cum Ioua tradiderit nobis hanc regionem, ni uos bona fide conſeruauerimus.* R. *Ergo hac lege demittã nos per funẽ per hãc feneſtram, quæ proſpicit rus. Rectè eſt, euaſiſtis. Nunc contendite in montes, ne incidatis in eos qui uos perſequuntur: & ibi, dum redeunt, latetote triduum, pòſt ituri.* EX. *Attende diligenter, quæ dicemus. Cùm ingreßi fuerimus hos fines, tu appendes funiculum iſtum rubrum de hac feneſtra, per quam nos demiſiſti: conuocabisq; ad te totam ueſtram familiam. Quòd ſi quis è domo tua foras exierit, ſuo id periculo fecerit, nos aberimus à culpa. Quæ uerò erunt apud te, ea ſi quis attigerit, nos præſtabimus damnum. Quòd ſi hanc rem palàm feceris, erimus liberi à iureiurando, quo tu nos obſtrinxiſti.* R. *Placet conditio. Valete.* EX. *Et tu.*

SENTENTIA.

Pios aduerſus impiorũ iniuriam abſcondere, pium eſt: & Deus huiuſmodi officia remuneratur.

## GABAONITAE. Ioſ. 9.

ARGVMENTVM.

Ioſua deceptus à Gabaonitis, fœdus paciſcitur cum eis.

Gabao-

## Gabaonitarum legati, Ioſua.

ADſumus huc è finibus remotis, Ioſua & Iſraelitæ, miſsi ad faciendum fœdus uobiſcum, ſi uobis ita uidetur. I. Fortaſsis habitatis in finibus his. quod ſi eſt, non eſt nobis fas inire fœdus uobiſcum. L. Nos quidem parati ſumus dedere nos in tuam poteſtatem. I. Cuiates eſtis? & unde adeſtis? L. Adſumus ex terra admodum remota hinc, moti nomine Iouæ Dei ueſtri. Audiuimus enim famam eius, & quanta facimora ediderit in Aegypto, utq; [a] acceperit duos Amorræos reges Transiordaninos, Sehonem Heſeboniorũ, & Oggum Baſsanæ apud Aſtarota. Hac de cauſa mandauerunt nobis noſtri Senatores, & uniuerſi noſtrates, ut ſumpto uiatico, ueniremus obuiam uobis, oblaturi uobis ſeruitium noſtrum, & pacturi fœdus uobiſcum. Atque [b] ecce panes, quos domi ſumpſimus in commeatum, cum ſumus profecti ad uos: qui iam marcuerunt, mucuerũtq;, ut uidetis. Hæ quoq; lagenæ, quas repleuimus nouas, uidetis ut ſint laceræ. Veſtimenta etiam, & calcei noſtri, iam detrita ſunt longitudine itineris. Quare nolite putare, nos meditari dolum ullum: bona fide agimus, & ut res eſt ſic loquimur. I. Ergo componemus pacem uobiſcum, uosq; conſeruabimus, & id iureiurando confirmabimus.

a tractauerit.

b Solebant nimirum illo tempore uiatores circũferre cibaria.

SEN-

SENTENTIA.

Et pij interdum falluntur. Nam quo minus ſunt ipſi malicioſi, eo facilius credunt alijs, eos exiſtimantes ex ſuo ingenio. Itaq; cauenda pijs eſt credulitas: & cum columbina ſimplicitate coniungenda eſt ſerpentina aſtucia.

## IOSVA. Ioſ.24.

ARGVMENTVM.

Ioſuæ concio ad populum, in qua commemorat Iouæ erga ipſos beneficia: & populus ſeſe Iouæ ſeruiturum promittit.

### Ioſua, Populus.

*AVdite uniuerſi Iſraelitæ, quamobrem iuſſerim uos huc conuocari, & quid Ioua Deus Iſraelitarum iuſſerit me uobis effari. Maiores ueſtri olim incoluerunt trans flumen, uidelicet Thara pater Abrahami & Nachoris, coluerũtq; deos peregrinos. Ioua aũt illinc euocauit Abrahamum, autorẽ generis ueſtri, eumq; perduxit per omnes fines Chananæorum, & auxit progeniem eius: deditq; ei Iſaacum, Iſaaco autem Iacobum & Eſaum. Eſao aßignauit Seir montem poßidendũ. Iacobus, eiusq; liberi deſcẽderũt in Aegyptum. Ibi cum excreuiſſent in gentẽ magnam, numeroſamq; & potentem, diuexabantur ab Aegyptijs: ſed Deus Aegyptios mirè infeſtauit, tandemq; eductos ex Ae-*

gypto Iſraelitas deduxit ad mare rubrũ. Quò Aegyptijs & quadrigarijs & equitibus perſequentibus eos, inuocauerunt Iouam, qui illos arcuit à uobis denſa quadã caligine: immiſſoq; mari, eos demerſit, ſpectantibus oculis ueſtris tam inaudita facinora. Cum aũt diu mãſiſſetis in ſolitudine, introduxit uos in fines Amorræorũ trãſiordanimorum: eosq; bellũ uobis inferẽtes, ſubegit uobis: eisq; conciſis, dedit uobis poſſeßionem eorum agri. Extitit deinde Balacus Sephoris filius, Moabitarum rex, qui uos bello laceſſerat: accerſiuitq; Balaamũ filiũ Phegoris, qui uobis imprecaretur diras. Sed [a] noluit Deus audire Balaamum, cõuertitq; imprecationẽ eius in fauſtam precationẽ, & uos tutatus est à manu illius. Ita traiecto Iordane, perueniſtis ad Hierichuntem: & bello reſiſtentes Hierichuntios, & reliquos populos ſuperauiſtis auxilio Dei: qui, quaſi mißis ante uos ueſpis, egit uobis in fugã duos reges Amorræorũ, nullo ueſtro uel enſe, uel arcu: uobisq; dedit & agrũ non ueſtro labore cultũ, & urbes ab alijs quàm à uobis ædificatas, quas incolitis: uineisq; & oliuetis, quæ non ſeuiſtis, uiuitis. [b] Quib. de cauſis ueremini Iouam, eumq; uerè & ſincerè colite: & auferte deos, quos maiores ueſtri coluerunt trans fluuium, & in Aegypto. Quòd ſi non placet uobis ſeruire Iouæ, diſpicite hodie utrũ ſeruituri ſitis dijs, quibus ſeruierunt conditores

ueſtrĩ

[a] Hinc app[are]ret, Balaam [n]oluiſſe im[-]precari Iſr[a]elitis.

[b] Aequũ [est] eum coli [a] quo tot b[e]neficia ac[ce]peris.

*ueſtri trans flumen: an dijs* Amorræorum, *quorũ fines habitatis.* Nam *ego quidem, & domus mea, ſeruiemus* Iouæ. PO. *Abſit, ut omiſſo* Ioua, *ſeruiamus alijs dijs.* Nam Ioua *Deus noſter eſt. Hic eduxit nos, maioresq́; noſtros, ex* Aegyptia *ſeruitute. idem fecit in oculis noſtris mira illa miracula, & nos cuſtodiuit in omni itinere quod confecimus, & inter omnes nationes per quas iter fecimus: fugauitq́; nobis omnes gentes, &* Amorræos *incolas.* Nos *quoq; colemus eũ eſt enim* Deus *noſter.* IO. Non *poteritis colere* Iouam. *eſt enim* Deus *ſacroſanctus,* Deus *riualis impatiẽs: non feret ueſtra delicta & peccata.* Quòd *ſi eo relicto coletis deos peregrinos, auertetur: & uos non minus multis malis conficiet, quàm antè bonis affecit.* P. At *eum colemus.* IO. Ergo *teſtamini, uos deligere uobis* Iouam *ad colendum?* PO. Teſtamur. I. [c] Itaq; *tollite deos iſtos peregrinos, & expiate animos ueſtros* Iouæ, Deo Iſraelitarum. PO. Iouam Deum *noſtrum colemus, & ei dicto audientes erimus.* I. Igitur *conſignabo hæc literis, & erigã hoc ingens ſaxũ ſub hac quercu, quod teſtis erit (utpote* [d] *quod audiuerit omnia* Iouæ *ad uos dicta) ſi fortè fregeritis fidem* Deo *ueſtro.*

Vt Ioua co
tur, abijci
ıdi ſunt pe
grini dij.
am duob.
›minis ſer-
re non poſ
ſis.
›ræſens ac
ıaſi teſtis
ſit, perin-
ac ſi audi
uerit.

SENTENTIA.

Deo ſeruatori, bonorumq́; datori, ſeruiri debet.

IAEL

## IAEL. Iudicum 4.

ARGVMENTVM.

Iael Siſaram Cananæorum ducem dolo occidit.

## Iael,Siſara,Baracus.

Diuerte ad me Siſara, quò fugis? diuerte ad me tutò. S. Bene mones. Sed ubi abdes me? I. Bono animo es: ſub hoc centone: hic latebis tutiſſimè. S. Amabò, da mihi paululum aquæ, quod bibã: nam ualde ſitio. I. Imò lac dabo ex hoc ſino, quod melius eſt aqua. Hem bibe. Nunc quieſcito, ubi texero te hac ſtragula ueſte. S. Sed ſta ad ianuã caſæ, ut ſi quis me quæret, neges hic eſſe. I. Fiet. Nunc demum facinus edam maius fœminea manu. Quid hoc? geſtit animus, iubetq; audere ulciſci hoſtem Dei & bonorum. Periſti Siſara: fœminea ui, fœminea manu interimêris. B. Quis mihi nunc, quis demonſtret, quò fugerit hoſtis? Quem ego ſi aſſecutus fuero, diſpereã niſi ei animam eripio malis modis. Sed quò ſe ſurripuit? quò fugit? IA. O Deũ immortalem, quantũ ego facinus feci? quantam laudẽ [a] inueniet Iael? Sed uideo ne Baracum? Ipſe eſt: ſectatur hoſtem iam iacentem. Barace, huc ſis ad me, ut tibi commõſtrem hominem quẽ quæris. B. Obſecro, eſt'ne is apud te? I. Videbis. B. Proh

[a] ſibi pariet.

*Proh ſuperi, quid uideo? Siſaram iacentem humi exanimem? quis hoc fecit? I. Mulieris factũ uides. B. At non muliebre tamen. Sed quæſo, tú ne hoc feciſti? I. Ipſa res indicat. B. Video: ſed narra, obſecro, quo pacto egeris. I. Vidi fugientem, iußi ut ad me ueniret, eumq; operui centone. Deinde cum iam quieſceret, cæpi clauum, quem malleo adegi in tempus eius. Ille prouolutus ad pedes meos, efflauit animam. B. Vtinam ſic pereant, quotquot aduerſantur Deo.*

SENTENTIA.

Turpi morte digni ſunt, qui Deo aut eius populo aduerſantur. Debilium manu uincit Deus fortes.

## GEDEON TRITVRANS.

*Iudicum 5.*

ARGVMENTVM.

Genius Gedeonem mittit ad debellandos Madianitas.

### Genius, Gedeon.

*ADſit tibi Ioua, uir fortiſſime. G. Quæſo te domine, ſi adeſt nobis Ioua, cur tã dira patimur? Vbi nã ſunt tot eius mira facinora, quæ nobis narrauêre maiores noſtri, nos ab eo eſſe eductos ex Aegyptijs: cum nos nunc deſeruit, & addixit Madianitis? GE. Vade cum tua iſta uirtute, & defende Iſraelitas à Madianitis. Ego ſum tibi*

autor

*autor uadendi.* G. *Amabo te domine qua tandem re defendam Iſraelitas, qui ſim tenuiſsimus omnium Manaſſenſium, & minimus totius paternæ familiæ?* GE.[a] Adiuuante me, concîdes Madianitas ad unum. G. *Quæſo te, niſi moleſtum eſt, ut ſigno aliquo mihi confirmes, te eum eſſe qui mecũ loquare.* Noli diſcedere hinc, donec redeam ad te, & expromã[b] dapem, quam faciam apud te. GE. *Præſtolabor tibi.* G. *Paraui omnia.* GE. Pone carnem & panes non fermentatos, ſuper hoc ſaxo, & effunde ius. G. Hei mihi.[c] ignis cõſumpſit omnia. Iouæ Genius eſt: me miſerum, qui uiderim Genium Iouæ. GE. *Saluus es: pone metum, non ideo morière.*

a Adiuuant[e] Deo uel in[fi]mi maxima prẹſtant.

b dapale m[u]nus, Deus li[]bandum.

c Videlicet de cœlo de[]lapſus.

SENTENTIA.

Dei ope quiuis quiduis poteſt.

## GEDEON. *Iudicum 7.*

ARGVMENTVM.

Gedeon delectu habito, dimiſsisq; domum imbellibus, caſtra Madianitarum noctu explorat: deinde cum trecẽtis militib. aggreſſus profligat.

Ioua, Gedeon, Præco, Phara, Madianita, alter Madianita, Milites.

GEdeon, *tu nimis multos habes milites. Quòd ſi cum iſtis copijs uinceretis hoſtes, Iſraelitæ la-*

a ſua ope.

*tæ iactarent ſeſe uictoriã adeptos eſſe* [a] *ſuo marte: atq; ita non ego laudarer, ſed ipſi: id quod detraheret meæ gloriæ. Proinde cura ut proclametur in exercitu, ut timidi repetant domum, & diſcedant ex mõte Galaado.* G. *Præco indice timidis & cæteris diſceſſum, ſecũdũ legẽ, ut noſti.* PR. *Audite, audite milites. Si quis ædificauit nouã domũ, neq; dedicauit, is domum repedato: ne ſi in prælio occubuerit, alius eã dedicet. Itẽ ſi quis uineam conſeuit, neq;* [b] *profanauit, domũ repedato: ne ſi occubuerit in prælio, alius eã profanet. Item ſi quis uxorẽ deſponſauit, neq; duxit, domũ repedato: ne ſi in prælio occubuerit, alius eã ducat. Item ſi quis timidus eſt, & molli animo, domum repedato: ne animi ſui mollitie effœminet animos aliorũ.* G. *Rectè eſt, reſtant decem millia: diſceſſerunt uiginti millia.* I. *Sed ne ſic quidem ſatis pauci ſunt. Nam quo pauciores erunt, eo mihi glorioſior erit uictoria. Deduc iſta decẽ millia ad aquas: ego eos illic tibi probabo, & oſtẽdam quós nam uelim ire tecum, quos item nolim.* G. *Agite milites, deſcendite ad aquas.* I. *Da operam, ut quicunq;* [c] *lambent aquã lingua more canum, hos ſecernas ab eis qui ad bibendum procubuerint in genua.* G. *Ita factum eſt. Superſunt trecenti, qui ducta ad os manu lamberunt aquã reliqui omnes proni in genua biberũt.* I. *Per iſtos trecentos dabo tibi uictoriam, Gedeon: &*

b Eius fructu ſus eſt, id quod fiebat quinto poſt ſatam anno. Leu. 19.

c Lãbũt ſtrenui, & ad pugnam ita alacres, ut ne ad procumbendum quidem captãt ociũ. Et tales adhibet Deus militei.

Madianitas tibi dedam. Quocirca iube reliquis omnibus, ut domum repetant. G. Ite domū, Iſralitæ, exceptis his trecentis: & nobis relinquite commeatum & tubas. I. Gedeon deſcende, dum nox eſt, ad caſtra Madianitarū, ut intelligas me ea tibi tradere. Quòd ſi ſolus deſcendere uerêris, deſcēde unà cum Phara famulo tuo, ut audias quæ dicentur, ut ita cōfirmeris ad inuadenda caſtra. G. Phara, deſcendamus clanculum in uallem, ut exploremus quid animi habeant hoſtes. PH. Placet. G. Caue ne ſtrepitum edas, hic eſt uia. PH. Tace, tace here. G. Quid eſt? PH. Iam non procul abſumus à caſtris. G. Sic habet, audio ſtertentes. hic ſunt extremi armatorum. Sed tace, neſcio quis loquitur. MAD. Scin tu quid ego ſomniauerim? AL. Sciam, ſi dixeris. M. Panis hordeaceus uidebatur mihi uoluere ſe cum ſtrepitu per caſtra Madianitarū, qui tandē delatus eſt ad tabernaculum: quod ualida ui impulſum, & labefactatū, à culmine deiecit. AL. Vis tibi certò interpreter? Enſis eſt proculdubio Gedeonis, filij Ioæ Iſraelitæ, cui in manū dedit Deus Madianitas unà cū uniuerſis caſtris. G. Audiſti? P. Atq; equidē libenter. G. Satis habeo [d], noſtra eſt uictoria: redeamus ad noſtros. Habemus tibi gratiam Deus immortalis, qui nobis bene fortunas hoc conſilium. P. Non eſt dubium quin perierint Madianitæ. O felicem noctem, &

d Hoſtis ſomnio magis credit, quàm Dei apertæ promiſsioni. ea eſt humana imbecillitas.

*quouis etiam die clariorem.* C. *Adeſte uiri, expergiſcimini, uicimus: Deus dat nobis caſtra hoſtium. Sed audite diligenter quæ dicam. Diſtribuam uos in tres claſſes: feretis ſinguli ſingulas tubas manu, teſtasq́; uacuas, & in teſtis tedas: ſed uidete ut imitemini me. Cum uenero ad extrema caſtra facitote ut uideritis me facientem: cumq́; audietis meam tubam, & eorum qui erunt mecum, uos quoque repentè colliditote teſtas: ſumptisq́; manu læua tedis, dextra tubis, clangitote: & magnum ſtrepitum circum caſtra editote: ſimulq́; proclamatote, Iouæ & Gedeonis. Auditis ne?* M. *Audimus, & meminerimus.* G. *Vadamus. Iam ferè media nox eſt, uentum eſt ad ultimam partem caſtrorum,: uos ambite caſtra, ſed excitantur cuſtodes, clangamus properè.* M. *Gladius Iouæ & Gedeonis. Io Pæan.* G. *O Deum immortalem, quid uideo?* [d] *Deus conuertit ipſorum enſes in ipſos: confodiunt ſeſe mutuis uulneribus.* M *Vt cadunt crebri? iam bona pars interijt, cæteri mandant ſe fugæ.* G. *Fugiunt: inſtate uiri, urgete, conſequimini, ſectamini, ut è tanto numero nullus euadat.*

[d] Dei hoſtes inteſtinis diſcordijs pereunt.

SENTENTIA.

Chriſtianum bellum (quod in Gedeonico adumbratur) à uoluntarijs, non coactis, gerēdum eſt: & præſtat eſſe paucos alacres, quàm multos ignauos. Stulti duces, milites numerant: ſapientes, ponderant.

IEPH-

## IEPHTHA. Iudicum 11.

ARGVMENTVM.

Iephthę perſuadent ſenatores Iſraelitarũ, ut ſe militiæ ducem præbeat aduerſus Madianitas.

### Senatores Iſraelitarum, Iephtha.

*Mißi ſumus ad te, Iephtha, ab Iſraelitis, ut à te poſtulemus, ut præbeas te nobis ducem ad gerendum bellum contra Ammonitas. Scimus enim, te eſſe eo corporis & animi robore præditũ, eáq; peritia belli, ut nemo hodie poßit id præſtare melius.* I. *Enimuerò uos exegiſtis me domo paterna, præ odio: cur nunc uenitis ad me, rebus aduerſis? Cur non potius retinuiſtis me, cum nõ egeretis: ut eſſet uobis copia mei, cũ egeretis?* S. [a] *Noli quæſo, Iephtha, meminiſſe iniuriæ. Si nos nõ rectè fecimus, qui te expulerimus: tu rectè facies, ſi maleficium penſabis beneficio, & innocentiam tuam magis commendabis. Quòd ſi nobiſcum profectus fueris, & debellaueris Ammonitas, conſtituemus te principem omnium Galaaditarum. Atque ita fiet, ut tibi lõgè plus ſit boni, quàm quanta fuit iniuria.* I. *Ergo ſi reuocatis me ad debellandos Ammonitas, & Ioua ſubegerit eos mihi, obtinebo principatum in uos?* S. *Conteſtamur Iouam, nos eſſe facturos iſto modo.* I. *Perſuaſiſtis. Eamus.*

[a] Iniuriæ o- bliuiſci de- cet.

SENTENTIA.

Præſtantes uiri, licet eis in præſentia non egeas, retineri debent in caſus futuros.

## RVTHA. Ruth. 1.

ARGVMENTVM.

Noemim ex Moabitica diſcedentem in Iſraeliticam terram, quamnis diſſuadentem, comitatur prę eius amore Rutha eius, quondam nurus.

### Noemis, Rutha, & Orpha eius nurus.

*Poſtquam Deus cepit miſericordiam ſui populi (ut accepimus) eumq́; leuauit fame, quæ coegerat me & meum uirum & liberos cõfugere huc ad Moabitas, iam nihil eſt quod uelim diutius agere in regione aliena. Sed uobis, meæ nurus chariſsimæ, cenſeo redeundum ſuam cuique in domum patriam, poſtquam eſtis priuatæ uiris. Iam ſatis me comitatæ eſtis. Ite ſanè ſecundo Deo, quem precor ut uobis repẽdat pietatẽ, qua uſæ eſtis* [a] *in mortuos & in me. Det in quam uobis Ioua, ut nanciſcamini quietem ſuũ utraq; apud maritum. Amplectimini me, chariſsimæ coniuges meorum olim filiorum.* R. *Heu nos miſeras, ſiccine diſiungimur à te? Ah non fiet, ſuauiſsima ſocrus: quin ibimus tecum ad tuos populares.* H. *Nihil opus eſt, meæ filiolæ: an*

[a] Videlicet mihi benefaciendo propter mortuos filios meos, maritos ueſtros.

putatis

*putatis me adhuc utero edituram filios, qui futuri ſint uobis uiri? Reuertimini potius meæ filiolæ, abite. Nam ego quidem grandior ſum, quàm ut ſim apta uiro. Sed fingite non adeſſe ſpem, meq́; tradi uiro, uel in proximam noctem, filiosq́; gignere: an eſtis expectaturæ, donec adoleuerint? poteritis ne tādiu durare ſine uiris? Non ita, filiolæ: parendum eſt neceſsitati. Equidem ualde angor ueſtro diſceſſu, ſed nolo repugnare urgenti Deo.* O. *Vera prædicat: melius eſt reuerti.* N. *Sapis, amplectere me. Vale, mea quondam nurus.* O. *Vale & tu, mea quondam ſocrus.* N. *Vides Rutha, ut tua fratria repetat patriam, & deos penates? Quid apud me hæres? reuertere unà cum ea.* R. *Ne me urge de te relinquenda. Nam quò tu cunque ibis, ego ibo: ubi tu commoraberis, ego commorabor. Cōmunis mihi tecum erit populus, cōmunis Deus. Tecum unà moriar, tecū unà humabor: ita omnino ſtatui. Atq́; ita mihi habeam Iouam propitiū, ut* [b] *una mors eſt me à te ſeparatura.* N. *Poſtquam ita animum obfirmaſti, nolo improbius obſiſtere tuo ſtudio. Eamus ſanè, Deo bene fortunante.*

b nihil niſi mors.

SENTENTIA.

Beati qui Deum, Deiq́; populum anteponunt & parentibus & patriæ. Eos Deus largè remunerabitur.

BOOZVS. *Ruth. 2.*

ARGVMENTVM.

Boozus comiter alloquitur Rutham ſpicas legentem, eiusq; pietatem collaudat.

## Boozus, Meſſores, Curator meſsis, Rutha.

*ADſit uobis Deus, meſſores.* M. *Et tibi bene omnia ſecundet.* B. *Quæ eſt iſta puella, Curator, quam hic uideo ſpicas legere?* C. *Moabitis eſt, quæ huc ſequuta eſt Noemem, remigrantem ex agro Moabitarũ. Ea rogauit, ut liceret ſibi legere ſpicas poſt meßores : id quod adhuc fecit à manè, tam paulùm manet domi.* B. a *Audi filia, ne iueris in agrum alium ad colligendas ſpicas, nè ue hinc abieris: ſed hæreto apud meas ancillas, & uideto ut ſequaris eas in quemcunque agrum ibunt meſſum. Ego uetabo, ne famuli ſint tibi moleſti. Quòd ſi ſities, petes potum ex iiſdem uaſis, quibus ipſi hauriunt.* R. *Quid nam eſt in me, quamobrem digneris ita reſpicere me, cum ſim peregrina?* B. *Perlatum eſt ad me, qualem tu te præſtiteris erga tuam ſocrum, poſt obitum uiri tui : utq; relicto utroque parente, terraq; patria, contuleris te ad populum tibi antea ignotum. Quod factum Ioua Deus Iſraelitarum rependet tibi cumulatißimo præmio, ſub cuius quaſi alarum præſidiũ tu te receperis.* R. *Agnoſco tuam gratuitam benignitatem*

[margin: Animad... rtēda imi ...daq; Boo... humani... : & mox ...thę ſum... miſsio.]

*tem & miſericordiam, qui tam comiter confirmes animum meum conſolando: cùm tamen indigna ſim, quæ uel in ancillarum tuarum numerum ueniam.*

SENTENTIA.

Pij fauent pijs, eisq́; benefaciunt.

## DISCALCEATVS.

Ruth. 4.

ARGVMENTVM.

Boozus, recuſante altero propinquo, emit bona Noemis, eamq́; ducit uxorem.

### Boozus, Propinquus Ruthæ, Senatores.

*HEus tu qui hâc tranſis, adeſdum, paucis te uolo.* P. *Quid'nam id eſt?* B. *Conſiſte hic pauliſper, dum euoco aliquot de ſenatoribus ciuitatis,[a] qui tranſeũt per hanc portã, ut adſint nobis in hoc negotio. nã ſeria res eſt, egetq́; teſtibus. Heus uos ſenatores, quæſo uos, ut accommodetis huc nobis aliquantiſper ueſtrã operam: non faciemus longius.* S. *Adſumus, dic quid uelis.* B. *Partem fundi, qui fuit cognati noſtri Elimelechi, uenundat Noemis, reuerſa ex agro Moabitarum. Hanc rem uiſum eſt mihi ut tibi ſignificarem, ut ſi empturus es, emas in præſentia ſenatus noſtri: ſin minus, indices mihi. Nemo eſt enim cognatus propinquior te, ſecundum quem ego ſum.* PR. *Ego uerò emam.* B.

a In portis urbium erã curiæ.

Sed cum fundum emes à Noemi, & à Rutha Moabitide, uxore demortui, emes ea conditione, ut ipſam Ruthã ducas in matrimoniũ, ut [b] ſuſcites nomen illius in eius hæreditate. PR. Non licet mihi hac lege emere, ne corrumpam patrimoniũ meũ. Eme tu ſi uis, meo loco: mihi quidem emere non licet. Atq; in huius rei teſtimonium, accipe calceum meum de manu mea. Ego quem admodum exui me hoc calceo, ita teſtor me cedere tibi meũ ius in hac re. B. Vos ſenes, & populares, hodie mihi teſtes eritis, ut ego emam omnia bona Elimelechi, & Cilionis, & Machlonis, à Noemi: utq; mihi uindicem in matrimonium Rutham Moabitidem, coniugem Machlonis, ut conſulam nomini demortui in eius hæreditate, & ne eius nomen tollatur ex eius cõſanguinitate & patria. Vos hodie teſtes nuncupo. SE. Teſtabimur. Faxit Ioua, ut mulier iſta quæ eſt intratura tuam domum, tam ſit fœcũda, quàm fuerunt Rachel & Lia, quæ duæ prole inſtruxerunt domum Iſraeliticam: utq; egregium quid facias in [c] Ephrata, & tibi nominis famã compares. Bethlehemæ, fiatq; domus tua ſimilis domui Pharis, quem Iudas ſuſtulit ex Thamare, progenie tibi à Ioua data ex puella.

[b] prolem ex Rutha ſuſcipias, quæ demortui dicatur, ſecundũ legem.

[c] id eſt Bethlehemæ, ut mox declarat.

SENTENTIA.

Qui uult defuncti poſſeſsionem, habeat & uiduam. Qui uult quod placet, habeat & quod diſplicet.

SAM-

## SAMSON. Iudicum 15.

ARGVMENTVM.

Samſon uinctus ad Palæſtinos deductus, abruptis uinculis occidit maxilla aſini mille uiros.

### Iudæi, Samſon, Palæſtini.

AN neſcis Palæſtinos habere imperium in nos? S. Scio. I. a Cur ergo incendiſti ſegetes eorum, magno noſtro malo? S. Par pari retuli. I. Atqui huc uenimus, ut te uinctum dedamus eis. S. Si quidem iureiurando cõfirmatis, uos nõ illaturos mihi manus uiolentas, uinciatis licet. I. Fidem damus. S. Agite, colligate, ducite, abducite quantum poteſtis. P. Euge, adducitur ille hoſtis noſter capitalis, qui immiſit ſceleratas faces in ſegetes noſtras. nunc nunc ulciſcemur. Nunquam hodie effugies Samſon, hic tibi finis adeſt uitæ. S. Agite uerò, ſi quid animi habetis, aggredimini uinctũ: experiar tamen, ſi quid habeo ſolitarũ uiriũ. Euge. P. Perijmus, abrupit uincula. ſed inuadamus undiq;: non euadet, præſtemus nos uiros. S. Sed unde mihi telum? Ecce autem commodùm ſeſe offert hæc maxilla aſini. hæc præbebit uicem clauæ. Pugnate uiri pro uirili: ſentietis qui uir ſim. Hem tibi, qui primus me laceßis, primus perito. Et uos qui hic tam denſe conglobati eſtis, ſentite quæ ſint uires

a Domin[e] irritare d[e]trimento [...]ſum.

*uires Samſonis, qui uincit inermis armatos. Heus, cogitatis pugnare pedibus? quò fugitis? Hic adeſt hoſtis, ne prodite uictoriam. Tu quidem hic iacebis, tu quoq; adiungêris ei comes: dormite. Euge Samſon, quantam cædem feciſti? Maxilla aſini quantam ſtragem edidi? maxilla aſini poſtraui mille uiros.*

SENTENTIA.

Qui Dei ſpiritu præditus eſt, inuictus eſt, fruſtráq; conſtringitur. Deus ſæpe uiliſsimis telis ulciſcitur hoſtes ſuos.

# DIALOGORVM SACRORVM Liber ſecundus.

## ELIS. 1.Reg.3.

ARGVMENTVM.

Ioua Samueli prædicit, ſeſe animaduerſurum in domum Elis ſacerdotis, qui in filios ſuos non animaduerterit.

### Ioua, Samuel, Elis.

SAMVEL. S. *Quid me uis? Accurram. Adſum, uocatus à te.* E. *Non uocaui.* Redi cubitum. S. *Fiet.* I. *Samuel.* S. *Adſum* Eli: *nam uocaſti me.* E. *Non te uocaui, fili.* Redi cubitum. S. Faciam. I. *Samuel.* S. *Adſum. nam uocaſti me.* E. *At at, nunc demum intelligo quid ſit.* Diſcede *cubitum.* Quod *ſi te uoca-*

*uerit,*